TRIPLEX BIBLICO-CRITICA DEMONSTRATIO

In qua BIBLIA SACRA Vulgatæ Editionis Sixti V. juſſu recognita, & Clementis VIII. auctoritate edita non vitioſa demonſtratur, adeout ſit probatu difficile, vel unicum mendum in ea reperiri correctione dignum

ADVERSUS

NEOTERICOS CRITICOS HETERODOXOS

Dignitatem ejus fruſtra infectantes elucubrata

AB ADM. REV. P.

F. BONAVENTURA A MAGDALONO

Lectore Emerito PP. Reformatorum S. FRANCISCI Provinciæ Neapolis, ac Scriptore Seraphici Ordinis

TOMUS TERTIUS



BIBLIOTECA PROVINCIALE MATERA "T. STIGLIANI"

Fondo Santoro
C 42 | III

NEAPOLI MDCCLXIV.

EX TYPOGRAPHIA SIMONIANA.

SUPERIORUM PERMISSU.

REVERENDISSIMO PATRI

P. PETRO JOANNETIO DE MOLINA

Ministro Generali totius Ordinis Min. S. P. Francisci
&c. &c.

F. BONAVENTURA A MAGDALONO REFORMATÆ PROVINCIÆ NEAPOLIS.

N cujus potissimum nomine, REVERENDISSIME PATER, *postremus hic Tomus qualiscunque mei Operis apparere deberet haud mihi magnopere cogitandum fuit; quoniam sicut in Operum nuncupatione ejus cummaxime ratio haberi solet, qui possit & velit oblatum sibi munus Patrocinii & Nominis splendore illustrare, a malevolorum linguis & morsibus vindicando; ita nullius certe ratio mihi potius habenda fuit quam Tui, cujus si species Eluceret illustrissima Majorum progenies, ex qua feliciter prodiisti, aut sapientia solertissimaque agendi ratio, qua magnalia operatus es, aut suprema nostri Ordinis pro secunda vice accepta potestas, propter quam ceu virum ferme novum ac plene mirabilem Te Te*

exhibes, nihil penitus occurrit quominus mentem animumque meum ad Te protinus hilariterque converterem: ratum habens, quod alias ad Temetipſum publice ſcripſit Vir ille doctrina & auctoritate ſua præclarus P. Carolus a Golleono, In Te enim, *ajebat* (a), & ſtirpis nobiliſſimæ prærogativam & ſupremam Ordinis dignitatem, & virtutes omnes pulcherrimo ordine, ac miro prorſus modo collectas conſpicio. *Quum generis & Protavorum facinora vix per conniventiam noſtra æſtimentur, & plus perſonalium morum quam illuſtrium Genitorum ornet apud omnes Nobilitas, unde merito ſcriptum eſt:* Non Generis, ſed virtutum Nobilitas, vitæque honeſtas gratum Deo faciunt & idoneum ſervitorem (b): *nihil propterea agam de Tua præclariſſima Joanniorum proſapia, quæ longa ſeculorum ſerie quot Filios, tot ferme in litteris, in armis, in ſenatibus, apud orientales plagas, & univerſam pene Europam Heroes habuit: maxime quod nec præconiorum materiæ, nec Veterum Recentiorumque laudatorum uſpiam copia defecerit. Aliorum itaque eſto facultas recolendi, ac magnis laudibus proſequendi Tuum Michaelem Juan in locum Zenonis Imperatoris e vivis ſublati, ſuffragantibus Imperii Electoribus ſummo cum plauſu ſuffectum, Tuum Sebaſtianum Juan, ejuſque Filium Petrum in Ducale Venetorum ſolium elevatos, Tuum Honoratum Joannium Caroli V. Imperatoris Aulicum Epiſcopum Oxonienſem, ac Caroli Filii Philippi II. Regis Catholici præceptorem*

(a) *In Epiſt. Dedicatoria operis poſthumi de Gratia Chriſti diligenter elaborati a Cl. Viro P. Fortunato a Brixia, cui P. Carolus fuit a ſtudiis fidiſſimuſque comes, quique in ampliſſimo munere a Secretis Reverendiſs. Mecœnatis ſubſtitutus loco præfati Fortunati præmatura morte perempti.*
(b) *Cap. Vener. 37. de Præbend.*

rem (a); *teſtetur Regia Granatenſis Præfectura, Nobilitatem domus Joanniæ Tuis Genitoribus Patruiſque per rectam lineam hactenus derivatam* (b); *præcipiat inſuper Realis Supremus Caſtellæ Senatus, ut honores ac præeminentiæ, exceptioneſque in toto Hiſpaniarum Regno Joannetiis de Molina nullo tempore denegentur* (c): *id unum, miſſis aliis* (d), *cæteroquin obſervatione digniſſimum, ac nuſpiam interituræ memoriæ habeo ſuccincte commemorare, quod Illuſtriſſimæ Tuæ Gentis adeo fueris meliora chariſmata æmulatus, ut in Te ea centuplum germinans, centuplum fructum Tibi Tuiſque mirum in modum parturias. Heinc inſignis Majorum Tuorum Religio ceu ſemen generoſarum ſtirpium in Tuo feraci ſolo propagata & exculta, tam uberem profecit frugem, ut reclamantibus fruſtra blandimentis deliciarum Proſapiæ & florentiſſimæ ætatis, quibus fruebaris, lenociniis voluptatum & honorum ſeculi, quorum ingentis ſpei tyrocinia poſueras, ſumma alacritate contendiſti inter humiles Diſcalceatos Minores inſervire Chriſto ad hoc, ut quo per humilitatem arctius Te ei conjungeres, eo verius Nobilis ac divini Generis particeps efficereris. Heinc ſpectabilis illa adſcenſio quam in corde diſpoſuiſti in Te unum tanquam in faſciculum colligere, mirificeque ordinare avitam doctrinam, prudentiam, ſagacitatem, moderationem, juſtitiam, miſericordiam, æquitatem, fortitudinem, ſolertiam, magnanimitatem: in quibus adipiſcendis atque*

(a) *Hæc ex Baronio, ex Sanſovino, ex Kirchero eleganter deſcribuntur a laudato Golleono loc. cit.*
(b) *Hujuſmodi declaratio emanata fuit die XVI. Julii 1740.*
(c) *Acta ſunt iſta die XXVIII. Septem. 1740.*
(d) *De quibus diſerte Kircherus in ſuo Archetypo, & Golleonus in cit. Epiſt. Dedicatoria ad Mecœnatem.*

præſtandis detentus adeo & impenſe in diem proficiens, ut quantus futurus eſſes, quantumve ob id honoris & gloriæ portenderes haud ſero animadverſum fuerit. Nihil itaque mirum, quod Urbs Valentiæ Te nondum ſacro Sacerdotali charactere inauguratum, ſpeciali Superiorum privilegio philoſophicis mox Theologicis Cathedris moderandis præeſſe viderit, itemque audiverit exquiſitum Oratorem ſæpe e ſuggeſtis concionantem, quod Valentina Diſcalceatorum familia ſelectiſſimum Legatum Te Romam miſerit, graviſſimorum negotiorum quibus tenebatur curam apud Apoſtolicam S. Sedem habiturum, quod Urbem Eccleſiaſtici Imperii ingreſſus tantam brevi apud Moderatores Ordinis, apud ampliſſimos Præſules, apud Purpuratos, ipſum quoque Pontificem Maximum Benedictum XIV. peculiarem æſtimationem Tibi conciliaveris, ut arduam ſuſceptamque provinciam proſpere feliciterque aggreſſus fueris, atque perfeceris; ut præter expectationem tam pretioſo Theſauro eandem Provinciam locupletem feceris, quanti valet nobile Cœnobium Sanctorum Quadraginta Martyrum, Romæ in ejus commodum Tuis curis a fundamentis extructum; ut tam bene proſpexeris perpetuo honori & gloriæ Diſcalceatorum omnium, ut eorum Auctor S. Petrus de Alcantara inter ſtatuas ad majorem majeſtatem in venerabili Vaticana Baſilica erectas, Te quoque curante, evectus fuerit; ut in Comitiis Ordinis Generalibus in Templo Aracœlitano celebratis anno Jubilæi 1750., eodem SS. optimoque Pontifice Benedicto XIV. ſacra pompa præſente, præſidente, hilariterque approbante, necnon cunctis ordinibus geſtientibus ſupremam Ordinis Præfecturam obtinueris. Quid? licet admiratione iſta non

non careant, ac avitam Tui generis egregiam indolem, honorificentiam, gloriam, majeſtatem, aliaque id genus auguſta inſignia, quibus ea perpetuo luxit, Te in Te comparaſſe quam vehementiſſime probent; quum vero eorum recordor animoque complector, quorum præter Te nullum ferme invenietur exemplum, Te talem profecto exhibes, ut ultra proſapiam, ultra fortunam, ultra Teipſum Te erexiſſe videaris. Quinquennio a præfatis Aracœlitanis Comitiis elapſo, ac de præſtita Tua regendi ratione plene inſtructus laudatus Pater a Golleono, utpote qui a ſecretis Tibi inſerviens eorum quæ contigerant, & diſpoſueras Teſtis oculatiſſimus, hæc inter cætera publice Te alloquens proferre non dubitavit: Teſtes omnes ampliſſimo Tuo Regimini ſubjecti, qui uno ore Tuam & in agendo prudentiam, & in præcipiendo ſuavitatem, & in corrigendo moderationem, & in audiendis omnibus manſuetudinem, & in expediendis negotiis celeritatem, æquitatemque deprædicantes, Te juſtitiæ vindicem, diſciplinæ inſtauratorem, Paſtorem vigilantiſſimum, ac Parentem optimum conclamant. *Elogium ſane quo Tuum ſpectabile gubernium ad perfectionis culmen validius ſubvehitur, eo vehementiores fucoſæ aſſentationis ſuſpiciones apud malevolos ſaltem comparare ſibi videtur, perinde quaſi Tuæ gratiæ aucupandæ ſtudio unice ex ſuo Auctore natum: eo ferme pacto quo vix paucis generatim cuncti Moderatores Supremi placeant, & quos etiam inter privatos Mundus ingenue coluit, eoſdem poſtea habenas moderantes plerumque odioſos habeat. O Te, exclamare hic licet, vel inter conſueta mundi diſcrimina, in quæ etiam fortuna optimi incidunt,*

fe-

felicem ! Fatum cui inhæres omnia vincit ; aliis Rectoribus esto vix paucorum subditorum mulcere corda, Tuum est eos etiam, quos sive increpes, sive corrigas, ad Tuum conciliare amorem: quod sane tanto splendidius cuique perspectum fiet, quanto in duobus sequentibus Comitiis Ordinis Generalibus ardentiori animi voluntate & pleniori electorum suffragio Regnum Tuum non novit finem. Si in Comitiis Murcianis an. 1756. *e supremo Generalatus solio descendisti, haud conscriptorum Vocalium tribuendum est voluntati, vel Tuæ qua non tam prompte hilarique vultu ad regendum antea conscendisti, quam quod regendi munus resignasti; sed ei potissimum uniceque inviolabili Ordinis sanctioni, qua ad servandam Cismontanos inter & Ultramontanos distributivam justitiam quoad Generalatum, nullo tempore nullaque ex caussa ab alternativa declinandum. Verum enim vero quum nulla prorsus talis justitiæ læsio erat vel in eisdem Comitiis in Ultramontanorum Commissarium Te cooptari, aut in Mantuanis an.* 1762. *iterum Generalatum suscipere, quisne electorum Tecum non fuit, in Te oculos non conjecit, Te suffragio suo non vocavit, in Tuum non exarsit amorem? Quum primum Te nec cogitante paratos Mantuæ novisti vocales, iterum in Generalatus gradum nova miraque methodo Te vocaturos, nihil utique studii prætermisisti ad declinandum tam peregrinum honorem, verbo, & scripto coram omnibus Definitorii & Discretorii Generalium Patribus, opponens imbecillitatem, infirmitatem, conturbationem, durissimum quoque judicium corde recogitans, quod Tibi servatum erat, cruciatusque terribiles Potentibus paratos & Fortibus: quod si hi-*

hisce non obstantibus eo vocalibus cunctis ex universo Orbe accersitis jucundius fuit dictis factisque Te iterum supremum habere Rectorem, quo Tibi soli reclamanti & insistenti videbatur molestius, cuine vel micam rationis habenti non innotesceret, in Te longe falli quod cæteris supremis Rectoribus commune est, eosdem nimirum de subditorum ingenua gratia, ac reali adminiculo malemereri potius, gravi quoque notissimoque facto omnes Tuo amplissimo regimini subjectos, qui in Comitiis Mantuanis moraliter repræsentabantur, universo Orbi voluisse testatum illud penitus, quod a die 20. *Septemb.* 1755. *a* P. Golleono *descriptum fuit, quodque nuper retulimus, aureis certe ac uncialibus litteris in cunctis portis Tuis præfigendum? Parce interea Reverendissime Pater, si innata Tua modestia & verecundia, qua tales Tibi partas immortales laudes virgineo auscultasti rubore, quasque fortassis apud eos ad quos pervenient pro more non desines miris modis prævelare, plus æquo abusus fuerim: ratus, non somniis hoc in themate me credidisse, non emendicatis decipulis, non fallacibus conjecturis, non anilibus assentationibus; sed factis, idque genus factis, quæ me aliisque tacentibus ex se se obvia sunt, ubique gentium pervulgata, & notissima. Nunc tandem ad Opus, cujus amantissimum patrocinium suscipere dignatus es, necnon ad ejusdem Operis Auctorem deveniens, id unum longitudinis fugiendæ ad pedes Tuos, qui Patriarchæ S. P. N. Francisci vices quam dignissime geris, humiliter provolutus, supplex commendabo. Quemadmodum scilicet ab illo Te ceteroquin digno mandato quo graviter monuisti, ut Lectores Ordinis Theologicam facultatem non aliter exigant, quam ad normam*

Fi-

Fidei Catholicæ, Sanctorum PP. doctrinæ, Ecclesiæque sanctionum, præcipiendo quoque in virtute Sanctæ Obedientiæ, ut tutiores & probabiliores doceamus & sectemur doctrinas (a), nunquam vel per digitum transversum, vel unguem latum me discessisse arbitror; eo ferme pacto quo meam sententiam (ajentem, in Bibliis a nostro olim præclarissimo sodali, ac totius Ecclesiæ splendidissimo Capite, Optimo Parente, Doctissimo Magistro, ac semper recolendæ memoriæ Papa Sixto V. studio vere pontificio recognitis, ac auctoritate eximii Clementis VIII. in lucem editis, nullum penitus reperiri mendum correctione dignum) primo potissimumque documentis Catholicæ Fidei, Sanctorum Patrum testimoniis, & Romanæ Ecclesiæ judiciis, depromere conatus sum & pro virili firmare, unde præ opposita sententia longe tutior videatur & probabilior (b): ita Reverendissime Pater pro humanitate qua polles & benevolentia in omnes, ac præsertim in eos, qui de litteris pro virili mereri conantur, hosce amplissimo Nomini Tuo nuncupatos utcunque labores haud pro ingratis, & indignis Te habiturum verisimilius crediderim. Cura ut valeas, & Deus esto propitius.

Neapoli ex Conventu S. Crucis de Palatio in Festo SS. Corporis Christi 1764.

CON-

(a) *Apud Litter. Circul. Reverendiss. Mœcenatis Romæ ex Aracœlitano editas 4. Octobr. 1762.*

(b) *Nonnullis nostri seculi Sapientibus præjudiciis Novatorum abreptis, re haud pensiculate perpensa, arrisit aliena potius fide spargere in vulgus, sententiam cui adhæremus levioris esse momenti, vel alicujus probabilitatis; sed quam longe a veritate, & a pietate iidem aberrent Opus appello, satis habens hic dicere, præfatos Sapientes maxime Orthodoxos non sine gravi Apostolicarum constitutionum, aliorumque R. Ecclesiæ judiciorum contemptu posse nobis adversari, ut potissimum videre est Cap. II. Demonstr. III.*

CONSPECTUS TOMI III.

CAPUT VI.

De Tribus Corollariis primæ Biblico-Criticæ Demonstrationis.

AD memoriam Corollaria revocantur, 515.

Corollarium I. Hodierni fontes Hebræi Veteris Test. Græcive novi minime sunt authentici. Opposita propositio est radicale fundamentum Ecclesiæ Lutheranæ & Calvinianæ, 516. Nec res nec nomen authentiæ hodiernis fontibus quadrat, 517. Distinctio de Scripturis pertinentibus & non pertinentibus ad Fidem & mores pleraque præsefert incommoda, 518. 519. Nihil est in Scripturis, quod aut per se aut per accidens Fidem & mores non spectet, 520. Waltonus nititur suadere, menda *hodiernorum fontium non* obstare authentiæ eorundem, 521. Sed perperam, 522. 523. Authentia Vulgatæ nullimode suffragatur authentiæ fontium, 524. Venditat versiones omnes non esse proprie & per se authenticas, 525. Sed respectu versionis Græcæ & Latinæ fallitur, 526. Ut apud Hebræos Textus Hebræus, apud Græcos Græcus, ita Latinus apud Latinos se habet ut originale, *ibid.* De mendis quæ impediunt authentiam, & de Theologis nostris *adversariis*, 527. 528.

Corollarium II. Hodierni fontes Hebræi veteris Græcive Novi Testamenti Vulgatæ Sixti V. & Clementis VIII. neque præferendi, neque coæquandi. Latina Ecclesia nuspiam usa est fontibus, sed editione Latina, & credibilius mandato Apostolorum, 529. Principia quibus Latina editio fontes antecellit, 530. Nostræ sententiæ suffragantur Catarinus, Canus, Salmeron, Sixtus Senensis, 531. Thomas Stapletonus, Gregorius de Valentia, Villalpandus, Pallavicinus, Joannes Morinus, Le Jay, 532. Joannes de La Haje,

Bonfrerius, Fraſſenus, Vincentius Gotti, Antonius Caſinus, 533. Waltoni jactantia, & nonnullorum inconſtantia, 534. Si Concilium non prætuliſſet Vulgatam fontibus Eccleſia veris Scripturis caruiſſet, 535. Hujuſmodi conſecutionem adverſarii impugnant, 536. Sed multipliciter expugnantur, 537. Magni faciunt ſimulque parvipendunt germanitatem alicujus lectionis aut voculæ, 538. Excepta Hieronymiana ætate Eccleſia Romana ſemper integras Scripturas licet diverſo modo apud Latinos codices habuit, 539. Cur Eccleſia *in Miſſalibus* interdum utatur lectionibus a Vulgata diſcrepantibus, 540. Objectantur Patres commendantes recurſum ad fontes, 541. Fit medela, 542. 543. Opponitur Caſſiodorus, 544. Sed nobis ſuffragante refragatur adverſariis, 545. Objiciuntur teſtimonia Salmeronis, Vegæ, 546. Sixti Senenſis, Bellarmini, Serarii, & Pallavicini, 547. Cur nonnulli nobis faveant, & adverſentur, 548. PP. Tridentini probe egerunt de fontibus, licet in decreto de *ſolis Latinis codicibus* loquantur, 549. 550. Utinam adverſarii Salmeroni adhærerent 551. Vegæ teſtimonium hoc in themate nullius ponderis, 552. Ex Sixto Senenſi nullum adverſarii emolumentum captant, 553. Perperam Senenſis nonnulla Vulgatæ loca pro mendis habuit, 554. Sicut & Hieronymum conſulto ea reliquiſſe, 555. Aliis ſcopulis offendit cum inconſtantiæ vitio, 556. Bellarminus, Serarius & Pallavicinus a vero aberrarunt deſuper decreto Tridentino, 557. Enudatur vera ſententia Hæreticorum criminantium Tridentinos ob antelationem Vulgatæ, 558. Pallavicinus in pleraque haud ſibi conſtantia hac in re incidit, 559.

Corollarium III. Vulgata Clementis minime per hodiernos fontes emendanda, ſed potius e contra. Hujuſmodi veritas ex ante liquatis de plano emanat, 560. Sententia oppoſita ſecum ducit Scripturarum confuſionem, 561. Hæretici propriam ſcabiem Catholicis tribuere conantur, 562. Sed incaſſum, ubi de ſubleſta eorundem Religione, 563. Theologi ad lancem fontium Vulgatam caſtigantes a ſenſis Eccleſiæ aberrant, 564. Waltonus arguitur diſſimulationis & ineptiæ, 565. Veritatem primæ Demonſtrationis annulo ſignant Willalpandus, Stapletonus, Morinus, 566. Pallavicinus, Bonfrerius, Menochius, Joannes de La Haje, 567. Fraſſenus, Gotti, Antonius Caſinus, 568.

DEMONSTRATIO II.

Præludium ad ſecundam Demonſtrationem, 569.; quæque memoratur, 570.

CAPUT I.

De inviolabili integritate Hieronymianæ editionis.

Materiæ gravitas expoſtulat S. Hieronymi patrocinium, 571.

§. I. *Scitu neceſſaria præmittuntur.* Proteſtantes Hieronymianam criminantur erroribus, 572. Et ſine priorum Chriſtianorum exemplo, 573. Ad hoc ut concilient fontibus auctoritatem, 574. Ut oſtendant neceſſitatem critices, 575. Ut detrahant auctoritati PP. & Theologorum, 576. Ut in dirimendis rebus Fidei audiantur fontes, 577. Ut eliminetur locus Traditionis, 578. Ut commonſtrent Tridentinos erraſſe, 579. Quid de Theologis arbitrantibus Hieronymianam ſcatere vitiis, 580. Movetur quæſtio de Hieronymiana editione, non de obſervationibus Hieronymianis, 581. Diverſus in utriſque Hieronymi ſcopus, *ibid.* Diverſa auctoritas, 582. 583. Non ad morem Scriptoris canonici vel primorum Interpretum Spiritus S. aſtitit Hieronymo, 584. Textus Latinus pro divino habendus, *ibid.* Hieronymiana inchoative & in conſummatione, 585.

ASSERTIO.

Hieronymiana verſio in conſummatione edita nullum complexa fuit mendum correctione dignum.

§. II. *Probatur aſſertum ex Veterum teſtimoniis.* Ad rem facit regula Lirinenſis, 586. Proferuntur teſtimonia Auguſtini, 587. Ruffini, 588. Salviani, 589. Caſſiodori 590. Gregorii Magni & Iſidori, 591. Bedæ & Rabani Mauri, 592. Hugonis a S. Victore, 593. Teſtimonia Conciliorum, 594. Trithemii, Sixti V., Præfationis; unde increpatur adverſariorum contumacia, 595.

Spiſſum pervulgatumque Joannis Clerici objectum expenditur.

Quum ex æquo Veteres & nos habeamus oculos nil refert, quod Veteres linguarum imperiti magni fecerint *Hieronymianam*, 596. At Clericus agit ſimul Chriſtianum & Ethnicum, 597. Peſſime calumniatur Antiquitatem & DD. Pontificios, 598. Non licet Recentioribus revocare in dubium quod ab Antiquitate in rebus Fidei dictum eſt vel factum, 599. Face Traditionis ſcimus hanc & non aliam eſſe canonicam Scripturam, 600. Face Traditionis veteres dogmata Fidei conſtabilivere, 601. Hæreticorum mos ſemper fuit ſpernere auctoritatem ex traditione Veterum, 602. Et non ſine pravo conſilio, 603. Præſens quæſtio arctiſſime ad Fidem attinet, 604. Face Traditionis & Fidei Veteres probarunt Hieronymianam, 605. Clericus eorum quæ pueris Chriſtianis traduntur oblitus, 606. Suis ferme ſenſibus & verbis jugulatur, 607. Acuit calamum conſcribendis mendaciis, 608. Quomodo tendendum ad Fidei profectum, 609. Dedecet Chriſti diſcipulum Hieronymianam non venerari, 610.

§. III. *Conſolidatur aſſertio ex peculiari Spiritus Sancti aſſiſtentia, qua Hieronymus in ſua adornanda Verſione con-*

decoratus fuit. Queis ardentibus crebriſque votis Hieronymus rite petierit Spiritus Sancti flamen, 611. Pro ſua reverentia exauditus, 612. Id a Veteribus ſatis agnitum, 613. Et ab Eccleſia; ubi de Waltoni mendacio, 614. Paritatibus Eſdræ, LXX. Seniorum, primi Latini interpretis, & ſummorum Pontificum ſuadetur aſſertio, 615. Specimina quibus innoteſcit Græcam viralem in Spiritu S. editam, 616. Quæ minime Hieronymo officiunt, 617. 618. Ideo Hieronymiana ab Eccleſia recepta quia divinitus adornata, 619. Et a viro doctiſſimo ac mirificæ ſanctitatis, 620. Sine Spiritus Sancti aſſiſtentia non editur codex Scripturarum authenticus, 621. Conantur adverſarii removere a Hieronymiana titulum *Authentica*, 622. Sed fruſtra, 623. Obliquæ interpretationes Riccardi Simonii ſuper Trident. decretum percenſentur & refelluntur, 624. 625. 626. Memoratur famoſa incantatio de Tridentinis probantibus Vulgatam in rebus tantum Fidei & morum, 627. Eadem cantilena monumentis evertitur, 628. Obtruſa ex mala intelligentia Vulgatæ, quam Concilium approbavit; ubi de Vulgata in ſe, & referta vitiis, 629. Suppeditatur litteralis interpretatio Trid. decreti, 630. Peculiarem Spiritus S. aſſiſtentiam in Hieronymo agnoſcunt Salmeron, Canus, Bellarminus, Morinus, 631. De la Hay, Menochius, Dominicus Gravina, Fraſſenus, 632.

§. IV. *Solemne objectum petitum ex copia mendorum &c.* Triplici potiſſimum via *adverſarii tendunt* ad ſcopum, 633. Tabula I. lectionum & vocum, quas ipſemet Hieronymus caſtigat, utpote in maturiori ætate magis peritus, 634. 635. Tabula II. lectionum & vocum quas Hieronymus utpote deſtitutus neceſſariis præſidiis male ex Hebræo vertit, 636. 637. Tabula III. lectionum & vocum in quibus Hieronymus, ſine ulla ratione diſceſſit a primis interpretibus Græcis & Latinis 638. 639. *Reſpondetur ad Argumentum*, Perfunctorie & licenter adverſarii definiunt Hieronymianam ſcatere vitiis, 640. Quum tot menda fabri-

bricant, ſua manifeſtant præjudicia, 641. Opponunt nobis ejusdem Hieronymi teſtimonia, 642. Sed tropologice & per ſimilitudinem intelligenda, 643. Palpabilis criticorum cæcutio, 644. Joannis Clerici deſipientia, 645. Variantes lectiones ab Eccleſia adoptatæ ſunt canonicæ, 646. Quod ſuadetur facto ejusdem Eccleſiæ, 647. Ex ſcopo Hieronymi, *ibid.* Ex Auguſtini doctrina 648.

§. V. *Diluuntur alia Recentiorum obiecta*. Teſtimonia probantia Hieronymianam complecti falſa & contradictoria, 649. Sed ab utraque calumnia vindicatur, 650. 651. Eraſmus ſuadens Spiritum S. Hieronymo non aſtitiſſe multipliciter taxatur 652. 653. Nec Hieronymo nec Hieronymianæ officiunt lectiones ex Hæreticis interpretibus acceptæ, 654. Cur Hieronymiana Auguſtino, aliiſque interdum non placuerit, 655. Hieronymus juſſu Damaſi verſionem utriuſque Teſtamenti concinnavit, 656. Haud Hieronymus mutavit quod antiquitus legebatur; ubi de abſolute & relative mutandis, 657. 658.

CAPUT II.

De identitate, ſive convenientia Hieronymianæ verſionis cum hodierna Latina Editione.

Recentiores mentiuntur beneficium a Deo S. Eccleſiæ collatum 959.

§. I. *Primordia ad quæſtionem*. Novatoribus arriſit Hieronymo abiudicare hodiernam Editionem, 660. Quod quidem pravo fine, & mirabili inconſtantia, 661. Quo ſenſu præſens quæſtio excitetur, 662. 663. Hieronymus egit Interpretem, Correctorem, & Reviſorem, 664.

ASSERTIO.

Hodierna Latina Editio, ſive Biblia Sacra Vulgatæ edi-

editionis Sixti V. &c. eſt illa penitus eadem, quam Hieronymus in conſummatione edidit, & Eccleſia occidentalis approbavit.

§. II. *Hiſtoricum ſuppeditatur momentum, quo radicitus ſolidatur aſſertio, ſimulque primorum Novatorum profanitas profligatur*. Tria momenta, quibus Novatores confugiunt ad verſionem mixtam, 665. Ab obitu Hieronymi aduſque Gregorii Magni tempora ſola Hieronymiana erat in uſu, 666. Deſcribitur tempus in quo Hieronymiana vidit lucem, fuitque communiter recepta, 667. Dictis factiſque S. Gregorius refragatur denegantibus publicum uſum ſolius Hieronymianæ, 668. Poſt Gregorii tempora ſola Hieronymiana generaliter conſecrata, 669. Hiſtoria ſuborti rumoris ac ſubſecutæ mixtionis Editionum ad fabellas amandatur, *ibid.* & 670. Conatus Waltoni ſuadentis hodiernam Editionem eſſe imaginem non Hieronymianæ, ſed mixtæ, 671. Ex quo Editio hodierna pleraque exhibet accepta ex editionibus Virali, Aquilæ, Symmachi &c. perperam removetur a Hieronymo, fitque recurſus ad Editionem mixtam, 672. Veterum Traditione oſtenditur hodiernum Hebræum depravatum quoad loca quæ a Hieronymiana diſcrepant, *ibid.* Ejusdem Hieronymi teſtimoniis convincuntur hallucinationes Waltoni, 673. Recapitulantur dicta, 674. Theologi qui denegant hodiernam Editionem eſſe ſolius Hieronymi, 675. Auctoritas ex privatis Doctoribus petita in rebus Fidei, alia apud Catholicos, alia apud Hæreticos, *ibid.* Præfationis teſtimonium, cui confidunt adverſarii, declaratur, 676. A quibus aliæ petendæ rationes, 677.

§. III. *Adverſariorum momenta ad trutinam revocantur*. Quod hodierna Editio in omnibus ſinguliſque Hieronymianam repræſentet difficile intellectu, 678. Sed omnem vincit difficultatem, qui inerrantiam Pontificiam præ oculis habet, 679. Quo ſenſu Veteres Hieronymianam appellant Verſionem ex Hebræo, 680. Hieronymiana a PP. Tridentinis probata fuit, 681. Abſurde Waltonus Hieronymo ab-

ju-

judicat Pſalterium hodiernæ Editionis, 682. Quater Hieronymus in Pſalterio laboravit, 683. Fallaces conjecturæ Recentiorum abjudicantium Hieronymo hodiernum Librum Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & Machabæorum, 684. De præfatiunculis quas Hieronymus Libris Scripturarum præfixit, *ibid.* Quo ſenſu nonnullos Libros apocryphos nominavit, 685. Nihil officit quod B.Cyprianus nonnulla citet de Libro Sapientiæ, Eccleſiaſtici &c. eo prorſus modo ac hodie legimus, 686. 687. Quare hodierna Editio quoad Librum Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & Machabæorum magis reſpondeat veteri Italæ, 688. Grave præjudicium hac noſtra ætate obtruſum, unde deſideratur Lector circumſpectus, 689. Hieronymiana præfatio quatuor Evangeliorum attinet quoque ad integrum Novum Teſtamentum, 690. Specimina eorum quæ Hieronymus emendavit apud novum Teſtamentum, 691. Integrum novum Teſtamentum Hieronymus emendavit, 692. Opponitur diſcrepantia Vulgatæ hodiernæ a *Hieronymiana* exiſtente apud Hieronymi opera, 693. Sed id unice natum ab eisdem Hieronymi Editoribus, 694. Minus exacte Hieronymi Pſalteria ab eisdem edita, 695. Fallum Martianæi circa editionem Hieronymiani canonis, 696. Corollaria primæ Demonſtrationis ex ſecunda etiam peti poſſunt 697.

DEMONSTRATIO III.

Prava Hæreticorum hoc in themate machinamenta, 698. Exponitur tertia Demonſtratio cum iis, de quibus ſermo inſtituetur, 699.

CAPUT I.

De privilegio Romanæ Eccleſiæ haud errandi in deligendis & declarandis Scripturis genuinis atque canonicis.

Cauſſæ quæ nos cogunt ad differendum de generali inerrantia Romanæ Eccleſiæ in rebus Fidei, 700.

§. I. *Privilegium R. Eccleſiæ in definiendis infallibiliter, & irreformabiliter cunctis rebus ſpectantibus ad Fidem & mores ſummatim vindicatur ab Hæreticorum oblocutionibus.* Pro eodem uſurpamus Sedem Apoſtolicam & Papam, ubi quid ſit loqui ex Cathedra, 701. Hæreticorum commenta quibus evertunt primatum & inerrantiam Romani Paſtoris, 702. Permulti ſelectiſſimi Veteres in patrocinium Romanæ inerrantiæ vocantur, 703. Adiiciuntur teſtimonia Irenæi, Tertulliani, Origenis, Cypriani, Nazianzeni, & Ruffini, 704. Hieronymi, Auguſtini, & Bernardi, 705. Principia quibus ſolidatur Pontificia inerrantia, 706. Ex quibus colligitur apud Veteres perſuaſum, nullum Romanum Pontificem deviaſſe a Fide, 707. Pontifices qui variarum hæreſum a Novatoribus inſimulantur, 708. Sed temere & ſtudio terrendi minus cautos, *ibid.* Apud recentiores Dogmatiſtas viget profanitas de fallibilitate Romani Paſtoris, omnibus ferme Epiſcopis in oppoſitum euntibus, 709.

§. II. *Summatim exponitur germana ſententia Eccleſiæ Gallicanæ circa privilegium infallibilitatis, quo Romana Eccleſia in rebus Fidei dirimendis fruitur: ubi etiam de Gallorum Janſenianorum pravitate.* Quanti facienda auctoritas Gallicanæ Eccleſiæ, 710. A Janſenianis exagitatur, *ibid.* Principia quibus Janſeniani ad inerrantiam decreti Pontificii expoſtulant Concilium generale, 711. Brevi oratione obiterque refelluntur, *ibid.* Pugnant cum aliis eorundem Janſenianorum principiis, 712. Ex ipſo Janſenianorum facto patet cujus ſint indolis atque criterii, 713. Graviſſima eorundem hallucinatio, *ibid.* Studium affundendi tenebras

veritati eosdem excitavit plerisque evulgandis captiosis dicteriis, 714. Sed eo magis inexcusabiliter, *ibid.* Privilegium Pontificiæ inerrantiæ persuasum veteri Gallicanæ Ecclesiæ; ubi etiam de spectabili munificentia ejusdem Ecclesiæ erga RR. Pontifices, 715. Eo vetus Gallicana Ecclesia a sententia Pontificiæ errantiæ aliena, quo inter Ecclesias orthodoxas magis illuxit, 716. Obsequiosa constitutionibus Urbani VIII. prohibentis Librum Jansenii, 717. Innocentii X. damnantis quinque Jansenii propositiones, 718. Alexandri VII. intercludentis Jansenianorum perfugia, 719. Et proponentis formulam Fidei ab omnibus subscribendam, 720. Spectabile zelum S. Facultatis Parisiensis adversus osores Pontificiæ infallibilitatis, 721. Laudabile studium Cleri Gallicani circa improbatum a Clemente XI. obsequiosum silentium; ubi de famoso conscientiæ casu, 722. Bullæ *Unigenitus* Clerus Gallicanus lætanter obsequitur, 723. Solemniter eandem agnoscit S. Facultas, 724. Ejusdem Bullæ irrefragabilem auctoritatem publicis scriptis a Jansenianis vindicant Gallicani Cardinales; ubi de Em. Noallio, 725. De Gallorum Antistitum doctrina & constantia gratulatur Benedictus XIV., 726. Jansseniani per calumniam Ecclesiæ Gallicanæ suos errores præfigunt, 727. Ecclesia Gallicana iis etiam Pontificiis constitutionibus religiose acquievit, quibus ipsius petitio non præcessit, 728. Ad acceptationem litterarum Apostolicarum requiritur consensus Ecclesiæ, sed non ille quem Jansseniani flagitant, 729. Longe aberrant qui sententiam Ecclesiæ Gallicanæ colligunt ex declaratione conventus Gallicani 19. Mart. 1682., 730. Præfata declaratio opponitur præcedentibus & posterioribus decretis Gallicanis, 731. Opus inscriptum, *Defensio Declar. cleri Gallic.* haud Bossuetio Meldentium tribuendum, 732. Verus Bossuet nullum agnoscit Pontificem in errorem lapsum, 733. Cur de sententia Gallicanæ Ecclesiæ sermo excreverit, 734.

AS-

ASSERTIO.

Romana Ecclesia privilegium habet haud errandi in deligendis & declarandis Scripturis genuinis atque canonicis.

§. III. *Triplici via assertio suadetur.* In veteri lege summi Sacerdotis erat tradere & interpretari Scripturas, 735. Ut patet in Mose qui fuit etiam summus Sacerdos, 736. Sacerdotes summi non minores irrefragabiliter dubia dirimebant, ubi de famosa Novatorum cavillatione, 737. Restaurantur dicta, 738. S. Petrus independenter a Concilio canonicas declaravit Paulinas Epistolas, 739. Gelasius segregavit Libros canonicos a non canonicis, ubi de veritate Gelasiani decreti, 740. Sixtus V. perpolivit Vulgatam a vitiis ex explorata sententia quod ad Papam id pertineat, 741. Quod scripturæ Testimoniis significat, 742. Ex humana diligentia a Sixto V. adhibita perperam infertur, eundem sine Spiritus S. flatu Biblia recognovisse, 743. Quod in Bibliis recognitis legitur, totum a Sixto V. delectum, 744. Oportet ut in medio statuatur infallibilis hujus controversiæ Judex, 745. Qui minime est spiritus privatus, 746. Neque ipsa Scriptura corroborata regulis sacræ Critices, 747. Neque Ecclesia ad mentem Jansenianorum, 748. Sed Romanus Pontifex, *ibid.* & 749.

§. IV. *Perpenduntur adversariorum obiecta.* Quomodo Papa & Ecclesia sunt nobis idonei Scripturarum Testes, 750. *& seqq.* Testimonium Pontificis & Ecclesiæ non in Scripturam, sed in Scripturæ germanitatem cadit, 751. Secus juxta Novatorum systema, *ibid.* Non Catholici sed Protestantes rotant in famosum argumentationis circulum, 752. Ecclesia dependenter a R. Pontifice judicare habet de Scripturis, 753. Cur Augustinus & Concilium Trid. Ecclesiam & non R. Pontificem appellant, 754. Testimonium humanum cui Pontifex inhæret nullimode infirmat ejusdem inerrantiam, 755. Primo potissimumque innititur Spiritus S.

assistentia, 756. Declaratio Bibliorum recognitorum pertinet ad factum dogmaticum, 757. Pontificia infallibilitas non spectat ad fidei articulum, 758. Quod sententia de Pontificia infallibilitate sit futilis damnatum est; ubi de Jansenianorum pravitate, 759. Dedecet Orthodoxum inficiari infallibilitatem Pontificiam, 760.

CAPUT II.

Quid in hoc capite suscipiatur discutiendum, 761.

§. I. *Prælocutiones ad futuram assertionem*. Biblia Sixtina Romæ impressa ann. 1590. sunt opus ejusdem Sixti V. 762. Mendorum autem quibus illa scatent, quorumque nonnulla percensentur minime Sixtus Auctor fuit, 763. Repugnante rerum gestarum ordine coniicitur, Sixtum proprios agnovisse lapsus 764. & 765. Adcuratissimum Sixti V. studium & tempus quod insumpsit elucubrando exemplo originali Bibliorum recognitorum, *ibid.* Præfata menda unice prælo tribuenda, 766. Irrepserant menda vitio Typographorum, & aliorum, 767. Ab impostoris Sixtini Amamæ vindicatur Papa Sixtus, 768. Vulgare præjudicium Eruditorum arbitrantium Biblia Clementina in plerisque discriminari a Sixtinis, 769. Refelluntur fallaces conjecturæ, quibus oscitanter iidem credunt, non distinguentes exemplar Sixtinum impressum ab originali, 770. Quid præstiterint *Romani correctores* sub Gregorio XIV. & Clemente VIII. 771. Ipsamet inscriptio Bibliorum Clementinorum rem enudat, 772. Opponitur testimonium Bellarmini ex Commentariolo suæ vitæ, 773. Sed nostræ hypothesi impense favet, 774. Nullum Bellarminus agnoscit mendum apud exemplar originale Sixtinum, 775.

ASSERTIO.

Romana Ecclesia delegit & declaravit tanquam sinceram canonicamque Scripturam quoad omnes & singulas par-

particulas Bibliam Sacram Vulgatæ Editionis Sixti V. jussu recognitam, & Clementis VIII. auctoritate editam.

§. II. *Proferuntur assertionis monumenta, simulque vindicantur ab adversariorum cavillis*. Sixtus V. declarat Biblia recognita habenda pro authenticis quoad omnes singulasque particulas, 776. Et omnibus quidem solemnitatibus ex Cathedra proferri solitis, sola clausula publicationis deficiente, 777. Nec refert, quod in præfato Diplomate non fiat mentio omnium & singularum particularum, habeatur *prout fieri potuit*, & quoad Missalia &c., 778. Clemens VIII. quoad authentiam Bibliorum recognitorum per omnia probavit & perfecit quod Sixtus intenderat, 779. Eximuntur Lapilli adversariorum contorquentium diploma Clementis, & Præfationem, 780. Rationibus quoque Theologicis suadetur assertio, 781. Accedit tandem testimonium Clementis XI. in Bulla *Unigenitus*, 782.

§. III. *Infirmantur postremi famosiores adversariorum nisus*. Negotium Scripturarum rite deligendarum sine Spiritus S. assistentia est operis metaphysice impossibilis, 783. Spectatis sententiis Præfationis, Sixti V., Clementis VIII., perpetuoque R. Ecclesiæ judicio Biblia recognita absolute habenda sunt pro expurgatis, 784. Adversarii quum sapientiores videri volunt nullius systematis esse convincuntur, 785. Quatuor proferuntur eorundem incantationes, 786. Cur relative mutanda consulto immutata relicta sunt; ubi de mendis typographicis, & divinitate nostrorum Bibliorum, 787. Eadem canonica sunt etiam quoad distributionem capitulorum & versuum, 788. Exponuntur relationes Lucæ Brugensis, & Serarii, 789. Sed suspectæ sunt fidei; ubi de Dissertatione Bellarmino supposita, 790. Præjudicia Brugensis & Serarii funditus convelluntur, 791. Qui tenent in Bibliis recognitis supereſſe menda corrigenda, minime inter Hæreticos, aut Excommunicatos computandi, sed resistunt R. Ecclesiæ judiciis, 792. Cur iidem nulla hactenus censura notati, 793. S. R. Ecclesiæ pietas & auctoritas, *ibid.*

CA-

CATALOGUS

Auctorum qui aliis in hoc Tomo accesserunt.

Berninus (Dominicus) in Hist. Hæres. edition. Venet. 1745.

Bossuet ementiti Defensio declarationis Cleri Gallicani, edit. Basileæ 1730.

Bossuet Meldensium Serm. ad Clerum Gallican. edit. Paris. 1682. obiit 12. Aprilis 1704.

Cassiodorus (Aurelius) edit. Paris. 1588. fatis cessit circa an. 562.

Ciacconius de Vit. RR. Pontif. edit. Romanæ 1630. vitam finivit 1599.

Defensio auctoritatis pontificiæ ex doctrina Gallicanæ Ecclesiæ edit. Leodii 1747.

Hugo a S. Victore edit. Mogunt. 1617. lumina clausit 1137.

Jacobus Hyacinthus Serry in Prælect. Teolog. edit. Venet. 1742.

Istoria della Costituzione *Unigenitus* di Monsi. Francesco Lasiteau edit. Colon. 1757.

Lucas Waddingus de Scriptoribus Ord. Min. edit. Romanæ 1650. postremum diem vidit 1655.

Relatio Emin. Caroli Cavalchini in caussa V. Bellarmini edit. Rom. 1753.

Ruffinus Aquilejensis edit. Paris. 1580. e vita discessit circiter 410.

Salvianus Massilienſis edit. Venet. 1728. obdormivit circa an. 484.

Tournely (Honoratus) de Gratia Christi edit. Venet. 1736. occubuit 26. Decem. 1729.

Traitè de la Puissance edit. 1607. Dupino tributus; qui obiit 6. Junii 1719.

Vincentius Lirinensis in Commonit. edit. Venet. 1728. requievit circa 450.

AP-

APPROBATIONES ORDINIS.

MAndatis Reverendissimi Patris Paschalis a Varisio Commissarii Generalis totius Cismontanæ Familiæ Fratrum Minorum morem humiliter gerens, Tertium Tomum Operis, cui titulus: *Triplex Biblico-Critica Demonstratio, in qua Biblia S. Vulgatæ editionis Sixti V. jussu recognita, & Clementis VIII. auctoritate edita non vitiosa demonstratur &c. ab A. R. P. Bonaventura Setaro a Magdalono Reformatæ Provinciæ Terræ Laboris Lectore Emerito, ac Ordinis Scriptore elaboratum* diligenter, accurate, & delectatione maxima perlegi. Quum argumentum præsenti tempestate utilissimum, quod Sapientissimus Auctor pertractandum susceptt, nedum solida, & clara methodo pertractet, sed Neotericos, & acriores Hebraistas invicte refellat, sicut omnibus numeris in I., & II. Tomo est consequutus; testorque nihil in eo inveniſſe, quod Catholicæ Fidei contrarium sit, vel bonis moribus. Unde ut opus absolutissimum dignum censeo typis mandandum, si ita iis, quorum interest, videbitur.

Datum Neapoli in Regali Conventu S. Crucis de Palatio die 12. Septembris anno 1763.

Fr. Alexius a Neapoli Lector Emeritus, ac Exdeff. Generalis.

MAndatis ea qua par erat obedientia, obtemperans Reverendiſs. in Christo Patris, Patris Paschalis a Varisio Commissarii Generalis totius Cismontanæ Familiæ Ordinis Minorum S. Francisci Assisien: librum cui titulus est: *Triplex Biblico-Critica demonstratio Tom. III. ab A. R. Patre Bonaventura Setaro a Magdalono Reformatæ Provinciæ Terræ Laboris Lectore Emerito, ac Scriptore Seraphici Ordinis elaboratum*, omni, qua potui animi attentione legi, perlegi, atque examinavi; & vere deprehendi Sapientissimum Auctorem, singulari eruditione, atque rationum soliditate penitus, radicitusque evelliſſe in hoc tertio Tomo futilem, inanem, atque omni ex capite insubsistentem hypothesim omnium Neotericorum injuste contendentium: *In Vulgata Clementis superesse menda ad fidem hodiernorum Fontium corrigenda:* Quemadmodum in I., & II. Tom. feliciter, & cum universali *plausu est executus. Omnia*, quæ in hoc tertio volumine continentur, superabunde respondere in I., & II. Tom. ab Auctore promissis inveni: nihilque in toto opere perlegi, quod Fidei nostræ dogmatibus adversetur, vel Sanctis Ecclesiæ moribus dissonum sit. Hinc tantam reor esse hujus operis dignitatem, atque utilitatem pro tuendis Sanctæ, Catholicæ, & Apostolicæ Matris Ecclesiæ dogmatibus, præsertim hac nostra tempestate, ut nihil sit, quod ejus Editionem retardare valeat; quin potius crediderim futurum fore, ut Typis excusum, & ab Æquissimis rerum æstimatoribus perlectum studiosæ juventuti revolvendum commendetur. Si ita quoque videbitur iis, ad quos spectat &c.

Datum Salerni in Conventu S. Laurentii die 17. Septembris 1763.

Fr. Silvester Maria ab Amalphi S. Theologiæ Lector Emeritus, & Exdefinitor Generalis.

Fr. Paſchalis a Variſio Ordinis Minorum S. P. Franciſci Lector Emeritus, Concionator Generalis, & in hac Ciſmontana Familia tam Obſervantium, quam Reformatorum, & Conceptioniſtarum Commiſſarius Generalis, Viſitator, ac Reformator Apoſtolicus, & in Domino Servus.

CUm juxta Apoſtolicas noſtrique Ordinis Conſtitutiones de mandato noſtro idonei Cenſores opus quoddam a R. P. F. Bonaventura a Magdalono noſtræ Reformatæ Provinciæ Terræ Laboris Lectore Emerito, ex-Definitore, noſtrique Ordinis Scriptore elaboratum, cui Titulus eſt: *Triplex Biblico-Critica Demonſtratio. Tom. III.* recognoverint, illudque ab ipſis reviſum, & approbatum fuerit: Nos præſentium tenore, ad Salutaris Obedientiæ meritum facultatem facimus, quatenus, ſervatis de reliquo ſervandis, idipſum Typis mandare poſſit, & valeat.

Datum Romæ ex noſtro Aracælitano Cœnobio die 28. Septembris 1763.

Fr. Paſchalis a Variſio Commiſſarius Generalis.

Reg.

De Mandato Reverendiſs. in Chriſto Patris
Fr. Carolus Antonius a Samoclevo Secretarius Generalis.

CAPUT VI.

De tribus Corollariis primæ Demonſtrationis.

515. IMpus eſt, ut vela primæ Demonſtrationis tot diſcordibus ex *Oriente* & ex *Aquilone* fremebundis ventis, quinque ſuperioribus capitibus inflata & turgefacta, tandem contrahamus. Ei profecto, cui ſtudio fuit ſedulam operam dare, quæ hactenus pro noſtro modulo enucleavimus, compertum eſſe debet *primo*, fontes hodiernos Hebræi Veteris Teſt. Græcive Novi ex eo jam tempore authentiam amiſiſſe, quo cœperunt ab *hoſtibus fidei depravari & turbide fluere*; *ſecundo*, eoſdem Originarios neque præferendos neque coæquandos vulgatæ Latinæ veteri, quam Concilium Tridentinum authenticam declaravit, & S. Sedes a mendis quæ irrepſerant perpolitam edidit; *tertio*, ad ſtateram hujuſmodi Vulgatæ eoſdem fontes in omnibus & quoad omnia fore emendandos. Verum quum ad hæc tria potiſſimum redigatur, & reſolvatur quidquid ſuſceptum noſtrum diſerte tangit, propter quod Waltonus majori qua potuit diligentia ſtuduit eiſdem extenuandis & refellendis, haud

abs re futurum esse duco eadem peculiari sermone suadere, & restaurare.

COROLLARIUM I.

Hodierni fontes Hebræi Veteris Test. Græcive Novi minime sunt authentici.

516. Hujusmodi nostram propositionem Lutherani & Calvinistæ pro infesta habent & molesta, utpote quæ ex diametro contraria radicali fundamento suæ Reformatæ Religionis: *Nostræ*, ita Witakerus (*a*), *Ecclesiæ Anglicanæ Calvinianæ Hebraicam Veteris, & Græcam Novi Testamenti esse sinceram & authenticam sentiunt*. Sixtinus Amama (*b*): *Textum Hebræum in Veteri, Græcum in Novo Testamento esse authenticas fidei Christianæ tabulas, apud nostros in confesso est. Hoc fuit REFORMATIONIS FUNDAMENTUM; pro hac thesi primi Protestantium Theologi tactis animis decertarunt*. Waltonus (*c*): *Sententia itaque nostra est: Textus Hebraicos Veteris, & Græcos Novi Testamenti semper fuisse, & adhuc esse authenticos, ad quos omnes de fide & Religione controversiæ omnesque versiones probari, & examinari debent*. Quare egregius Joan. Morinus, prætermissis aliis viris Catholicis, quos alias (*d*) laudavimus, initio suarum Exercitationum hæc præsentat: *De Originario & authentico Textu* (Neoterici Hæretici) *gloriantur: Græcos Hebræosque codices ostentant, istos solos ut sinceros apud gregales venditant; Latinos vero nihil pensi habent, ut putridum fungum aversantur, & convitiis quibuslibet onerant. Jam vero gloriosulæ ostentationis rationem si postulentur, nihil*

(a) *Apud P. Dominic. Gravin. Lib. IV. Cathol. Præscript. Controv. IV. p. 258. col. 2.*
(b) *In Antibarb. Biblico p. 125.*
(c) *Proleg. VII. §. 17. p. 284. col. 2.*
(d) *Cap. 1. n. 5. & seqq.*

bil aliud quod ostentent occurrit, præter Originarii & authentici Textus gloriationem. Et sane, si conditores Protestantium pro authentia Originalium non acriter propugnassent, minime viam sibi straviſſent ad tot laxa perfugia, quibus palliarunt & palliant suam impudentem recessionem ab obedientia Romanæ Sedis, absque eo quod christiano nomini renuntiaverint. Verum enim vero ex Scripturarum auctoritate, quam profitentur, distant ab Ethnicis, qui Scripturas explodunt; insuper quum non modo Testamento Veteri inhæreant, sed etiam Novo, confitentes Unigenitum Dei filium in mundum veniſſe, utentes quoque Baptismatis remedio, distinguuntur a Judæis, verique sunt Christiani; quum tandem omnia pene sua dogmata, sive cuncta subterfugia, quibus suas protegunt hæreses, ultimate resolvantur ad hujusmodi cantilenam: *Hodierni Originarii Hebræi Vet. Testam. Græcive Novi sinceri sunt, & authentici* (*a*), per id sane primo & ultimate constituuntur in esse Lutheranorum & Calvinistarum, necnon distinguuntur a Gentilibus, Circumcisis, & a Romano-Catholicis juxta illud

(a) *Hoc quippe falsissimo principio nixi; primo, odio habent Textum Latinum, & detrahunt Patribus Tridentinis quasi errarint probando Vulgatam veterem in multis discordantem ab hodiernis Originariis; secundo, denegant supremam potestatem Romanæ sedis, Romanique Pastoris, & Conciliorum tanquam emendicatam ex testimoniis acceptis non quidem ex Originariis, sed ex Vulgata Latina; tertio, inficiantur liberum arbitrium Missam, Purgatorium, Limbum, meritum congrui & condigni, orationem Sanctorum, cultum SS. imaginum, aliaque id genus multa, ut ex eodem Sixtino Amama apud n. 483.; quarto, ludibrio habent Traditionem veterum, utpote qui linguarum, & regularum critices minime gnari, & allegoriis aucupandis maxime intenti, jactantes quoque, quod sicut a Patribus & sequentibus Doctoribus scholasticis, uno vel altero excepto absuit peritia Hebraicæ, ita in multis iidem hallucinati sunt, aquas turbidas haurientes ex fæculento rivulo Latinæ versionis, sicque haud eorundem Traditioni fidendum; tandem, ut alia missa faciam, concludunt: Si hodierni Originarii Textus sinceri sunt & authentici, unice ad normam istorum, & a viris Linguarum peritis resecandæ sunt omnes controversiæ fidei & morum, non autem Textus Latini & a Romano Pontifice aliisque Ecclesiæ ministris, quibus ordinarie neque Hebræum abecedarium innotescit, atque ita indispositi ad assequendam rectam sanctarum Scripturarum intelligentiam.*

lud philoſophicum adagium : *principium conſtitutivum eſt etiam diſtinctivum*. Quo præfato,

517. *Probatur aſſertum*. Adverſarii potiſſimum argumentantur authentiam hodiernorum Originalium ex integritate, quam eiſdem tribuunt, ſtatuentes, eoſdem fideliter convenire cum ipſis Autographis Prophetarum & Apoſtolorum; ſed ex capite primo & ſecundo hujus demonſtrationis abunde conſtat ingentibus corruptelis ſcatere, & permultis in locis ab Autographis diſcordare; ergo hodierni Originarii Hebræi Vet. Teſtam. Græcive novi minime ſunt authentici, & conſequenter haud ad normam iſtorum controverſiæ fidei & morum reſecandæ ſunt. *Præterea*, hanc vocem *Authenticum*, Waltono quoque teſtante, Theologi mutuo acceperunt a Juriſperitis; ſi hoſce conſuluerimus, celeberrimus Juriſconſultus Andreas Alciatus rationem reddens, cur Latina translatio novellarum Juſtiniani citaretur nomine *Authenticæ*, fert (a): *Accurſius* (quem coævi adpellabant Idolum Juriſprudentiæ:) *ideo Authenticam appellavit, quoniam ex ipſo Græco Originali ad litteram tradu&ta eſſet*: ad hoc itaque ut inſtrumentum aliquod authenticum cenſeatur, neceſſario requiritur, ut ad litteram cum ſuo originali concordet; atqui hodierni Originarii non modo quoad litteram, ſed multoties quoad ſenſum & notabiliſſimas partes diſcordant ab Autographis Apoſtolorum & Prophetarum, ut cuique datum eſt eruere affatim ex nuper citatis Capitibus, ergo &c. *Tertio*, hujuſmodi vox *Authenticum* ſecundum Julianum Juriſconſultum, Tractat. de Fide Inſtrument. ab eodem Waltono laudatum, ſignificat *ſcriptum aliquod quod ex ſe fidem facit in judicio, & ſupremæ eſt auctoritatis, ut a nullo rejici vel in quæſtionem vocari debeat*: quum itaque a primis Eccleſiæ ſeculis non ſolum emerſerit dubitatio circa fidem & ſinceritatem fontium,

(a) *Lib. XI. Parergon Cap. XVI., cujus fragmentum extat præfixum Codici* Authenticæ *edition. Venet. apud Juntas an.* 1621.

tium, ſed conceptis verbis Eccleſiæ proceres Juſtinus, Irenæus, Tertullianus, Origenes, Hieronymus, aliique (a) pro corruptis habuerint, eorundemque corruptelas propalarint, plane ex eo jam tempore priſtinam fidem & auctoritatem amiſerunt. Si enim ſola dubitatio de germanitate alicujus inſtrumenti ſat eſt, ad mentem Juliani, ut fidem non faciat & jure merito rejiciatur, quid dicemus de originariis Bibliorum, de quorum fide veteres non tantum dubitarunt, ſed ocularibus ſpeciminibus eorundem depravationem convicerunt? quid dicemus de Originariis hodiernis longe amplius ſtudio Maſoretharum & recentiorum Hæreticorum conſtupratis & conſpurcatis, adeo ut *in multis* diſcrepent etiam ab exemplaribus, quorum Hieronymus aliique veteres habuere uſum (b)? quid dicemus quum neque & ipſimet adverſarii contenti ſint codicibus illorum Originalium, quos anteriores critici ediderunt, qua de cauſſa unuſquiſque novis editionibus incubuit, pro ſuo arbitrio addendo, detrahendo, immutando, & pervertendo (c)? ſi nullus videtur locus eſſe Originalium, *de cujus interpretatione* ipſimet Critici non dubitent & non diſſentiant (d), quomodo Originariis hodiernis convenient conditiones inſtrumenti authentici, nimirum *a nullo rejici vel in quæſtionem vocari debeat*? neminem ſane æquum judicem inveniri poſſe crediderim, qui inſtrumentum tot dubiis, litigiis, & criminationibus eventilatum, pro authentico adoptare vellet in ſuo Tribunali, & ad fidem iſtius ſubortas lites definire.

518. *Inſtabis primo*. Quemadmodum hodierni Originarii in rebus tantum fidei & morum immunes ſunt ab omni præcogitata corruptione, ita in rebus tantum fidei & morum ſunt authentici.

Con-

(a) *Quorum teſtimonia habes Cap. I. §. II. & Cap. II. §. II.*
(b) *Vid. num.* 455. & 470.
(c) *Vid. num.* 464. & 468.
(d) *Ut oſtendimus num.* 450.

Contra I. Hujuſmodi inſtantia eſt merum effugium a gregalibus Proteſtantium adinventum, quo non tantum confidunt vitare incommodum confuſionis Scripturarum, ſed & nuper prolatum argumentum cum aliis multis conſectariis noſtris flocci facere & illudere; quod ut manibus palpes, præter ea quibus oſtendimus num. 77. & ſeqq. hodiernos Originarios etiam in rebus fidei & morum ſcatere vitiis: quæ modo exponam, ſedulo velim accipias & revolvas. Teſtimonio ipſorum Criticorum conſtat, permulta Scripturæ oracula aliter legi in Originariis, aliter in Textu Latino: inter ſexcenta quinque celebriora ſeligam. Geneſeos Cap. 1. v. 6. Hebræus legit, *Fiat liquidum* ſive *expanſum*; Vulgata habet, *Fiat Firmamentum*. Geneſ. III. ver. 15. Hebræus, *Ipſe conteret*; Vulgata, *Ipſa conteret*. Geneſ. VIII. v. 7. Hebræus, *Exiit egrediendo & redeundo*; Vulgata, *Egrediebatur & non revertebatur*. Geneſ. XXXVI. v. 24. Hebræus, *Invenit mulos*; Vulgata, *Invenit aquas*. Exod. XXXII. v. 28. Hebræus, *Triamillia*; Vulgata, *Viginti tria millia*. Jam vero eos, qui præfatam reſponſionem proferunt, ita urgemus. Quum dicitur, hodierni Originarii in rebus fidei & morum ſunt authentici (quod pariter adverſarii reponunt de Vulgata Latina) plane infertur, in codice Bibliorum dari duo genera Scripturarum, earum nimirum quæ ſpectant ad fidem & mores, & earum quæ non ita ſe habent; ſed ſpectatis principiis & conſectariis ipſorummet adverſariorum, eruitur præfatam diſtinctionem divinis Scripturis minime adaptari poſſe; ergo doctrina de Scripturis ſpectantibus aut non ſpectantibus ad fidem & mores eſt merum effugium ab adverſariis excogitatum. Probatur minor, ſi talis diſtinctio in Scripturis reapſe dabitur, aſſignent quæſo, ad quam ſeriem pertinebunt quinque nuper expoſita Scripturarum loca, ad eam ne quæ cernit fidem aut mores, an ad oppoſitam? ſed quomodocumque dicant, dubio procul ponunt manum in ignem; non enim poſſunt amplecti primum, quoniam hoc in caſu nullus erit

rit Scripturæ locus, qui ad fidem & mores non pertinebit, ſicque in ſuam famoſam diſtinctionem inepte congredientur: non enim foret aſſignabilis ratio, cur præfata loca ad fidem aut mores pertinerent, & non hæc alia: *Tunc præcurrit canis .... & quaſi nuntius adveniens, blandimento ſuæ caudæ gaudebat* (a); item, *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpem, veniens affer tecum* (b); item, *Ipſius enim & genus ſumus* (c); item, *Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri* (d). Præterea, ſi præfata quinque loca ſpectabunt ad fidem & mores, neceſſario adverſarii cogentur concedere, aut Hebræum hodiernum, aut vulgatam Latinam in rebus fidei & morum corruptelis ſcatere, quod nec Waltonus cum multis aliis eruditioribus Proteſtantibus auſi ſunt proferre: namque non poſſunt dari duo Textus ſinceri & authentici, qui pugnent ad invicem, uti in prædictis locis Hebræus & Vulgata ſe inter ſe collidunt; non ergo tueri poterunt allegata quinque loca pertinere ad fidem aut mores. Neque inſuper ſtare poſſunt pro oppoſito, quia per ipſos ea ſolummodo loca in Originariis hodiernis ſunt ſincera & authentica, quæ ſpectant ad fidem & mores; quum igitur ipſimet contendant ea loca ſincera eſſe prout ſunt in Hebræo, non autem ut leguntur in Vulgata, de conſequenti pro ſpectantibus ad fidem & mores ea amplecti tenentur: atque ita ſi definire nequeunt ad quam ſeriem Scripturarum redigenda ſint conſignata quinque exempla, haud dubie præfatum effugium Novatores excogitarunt, ut minus cautos fallerent, & veritati magnas tenebras offunderent.

519. *Contra II.* Licet non paucos Recentiores pro meo modulo verſarim, ut ex eiſdem intelligerem quænam loca habeant in Scripturis pro pertinentibus ad fidem & mores

(a) *Tobiæ XI. v. 9.*
(b) *II. ad Timoth. IV. v. 13.*
(c) *Actor. XVII. v. 28.*
(d) *Ad Titum I. v. 13.*

res, quæque non ? vix comperi Capellum qui ad primam claſſem videtur collocare Hiſtorias de creatione, de providentia divina, de nativitate, vita, morte, reſurrectione Chriſti; ad ſecundam autem, quæ continentur in chronologicis, in nominibus hominum, urbium, regionum &c., ſubdens quod priora clare, & evidenter in omnibus codicibus traduntur, circa poſteriora vero habetur varietas codicum (*a*); at nunc iterum peto, priora ſunt ne clara & authentica in codicibus Originalium ſecundum ſenſum & ſubſtantiam, an etiam quoad verba & verborum texturam ? Non poſſunt reſpondere primum, alioquin de Scripturis *quatenus* ſunt verba a Spiritu Sancto profecta, & a ſacris Scriptoribus exarata actum erit; quoniam ſi quæ pertinent ad fidem & mores non erunt ſincera & authentica ſecundum verba, potiori jure talia non ſunt ea loca Scripturarum, quæ levioris ſunt momenti; & conſequenter in omnibus Scripturarum codicibus, ſive Originalium, ſive Verſionum nulla penitus vocula invenietur, quæ ex ore *Spiritus Sancti profecta* ſit, & a ſanctis Scriptoribus exarata. *Item*, ex profeſſo ipſimet adverſarii aſſerunt, Originales tam quoad ſenſus quam quoad verba fuiſſe immediate a Deo, propter quod paſſim commendant inſpectionem & præferentiam fontium ſuper omnes Verſiones. *Item*, teſtantur ſe non alio tendere præſidio regularum critices, niſi ad ſtabiliendam germanam & litteralem lectionem, quam *nimirum* Autographa exhibebant; Critici ergo ſecundum iſta principia opus eſt fateantur, hiſtorias de creatione, de providentia, & alia conſimilia ad fidem aut mores ſpectantia, in Scripturis ſincera eſſe & authentica quoad ſenſus, & quoad verba. Vide modo, quomodo aliis ſuis principiis hoc ipſum denegare videntur : plerique Criticorum Proteſtantium, & etiam Catholicorum cum Waltono ſentiunt, tam Originarios quam Verſiones in rebus fidei aut mo-

(a) *Cujus verba habes apud Walton. Proleg. VI. §. 2. pag. 271. col. 1.*

morum eſſe ſincera & authentica; atqui in hiſtoriis de creatione, de providentia &c. verba Originalium longe diſtant a verbis Verſionum; ergo per ipſos non quoad verba, ſed ſolummodo ſecundum ſenſum erunt ſincera & authentica. *Item*, ſi hiſtorias de creatione, de providentia, aliaque de rebus fidei & morum adverſarii haberent pro authenticis ſecundum verba, minime de verbis ipſorummet locorum tam immodice dubitarent; quum nullum ferme locum hactenus reliquerint, de cujus verbis & textura verborum non hæſitarint, ut videre eſt apud craſſiſſimos codices, quorum titulus *Polyglotta*, vel *Critici ſacri*, aliaque id genus ingentia volumina; ergo *nullum* penitus Scripturæ locum habent pro ſincero & authentico ſecundum verba. Verum enim vero ſi de ſola hiſtoria creationis ſermo fiat, cuique innoteſcet, Criticos taliter de verbis & verborum textura diſſentire ad invicem, ut nihil penitus certi & explorati erui poſſit (*a*); quomodo igitur hiſtorias de creatione, de providentia habebunt pro authenticis ſecundum verba, ſi de *ſingulis verbis* moroſam criſim inſtituunt? Neque dicas, tota altercatio & varietas ſe tenet ex parte Interpretum & interpretationum, non autem ex parte verborum quæ ſunt in Originariis; quandoquidem, omiſſis aliis, ipſemet numerus variantium lectionum, quem primo Maſorethæ aliique verpi exhibuerunt in Textum Hebræum, & deinceps Critici Chriſtiani tam in Hebræum quam in Græcum Novi Teſtam. *præcludit hocce effugium; nullus itaque locus in Scripturis eſt, quem Critici* agnoſcant ſincerum & authenticum ſecundum verba, & verborum texturam; ſed ut paulo ante oſtendimus, neque poſſunt declinare ad oppoſitum; ergo quum reponunt eam pervulgatam cantilenam, *originarii hodierni ſinceri ſunt & authentici in rebus fidei & morum* neſciunt quid dicant, jacent in labyrintho, oſtendunt habere oculos, & reapſe nihil recte intuentur.

(a) *Vide num. 459. & 466.*

520. *Contra III.* Minime inficiamur inter ipſas res dari diſtinctionem earum, quæ adtinent ad fidem & mores, & earum, quæ leviter aut nullimode religionem tangunt: hoc quidem pacto dicimus, e. g. Scriptura eſt infallibilis auctoritatis ad fidei dogmata moreſque formandos, aut vitia quibus Vulgata ante correctionem ſcatebat neque fidem lædebant neque mores, aut Romanus Pontifex in rebus fidei & morum eſt infallibilis; in his enim aliiſque conſimilibus exemplis diſtinctio unice cadit inter res ipſas, quæ utique non omnes ſpectant ad fidem & mores, quum nonnullæ ſint abſolute profanæ bonitate & malitia morali carentes; & conſequenter jure optimo inter ipſas res præfata diſtinctio locum tenet. Quod vero a viro Catholico minime cenſeo adoptandum, eſt poſitio talis diſtinctionis inter ipſas divinas Scripturarum lectiones aut verba, quaſi quod in ipſis autographis Prophetarum & Apoſtolorum quid fuerit, quod nec per ſe nec per accidens inſerviret ad firmanda fidei dogmata, bonoſque mores inſtituendos. Tametſi in Scripturis canonicis, ut nimirum a ſanctis hominibus profectis, nonnulla ſint quæ abſolute & ex ſeſe minime referantur ad fidem informandam aut mores, tamen quia adnectuntur iis, quæ immediate pertinent ad fidem & mores, & illa quoque eandem conditionem induunt. *Solo*, audi aquilinum S. Auguſtinum quomodo rem acute expendit (*a*), *enim vomere terra proſcinditur; ſed ut hoc fieri poſſit, etiam cætera aratri membra ſunt neceſſaria: & ſoli nervi in citharis atque hujuſmodi vaſis Muſicis aptantur ad cantum, ſed ut aptari poſſint inſunt & cætera in compaginibus organorum, quæ non percutiuntur a canentibus, ſed ea quæ percuſſa reſonant, his nectuntur. Ita in prophetica hiſtoria dicuntur & alia quæ nihil ſignificant, ſed quibus adhæreant quæ ſignificant, & quodammodo religentur.* Et paulo ante: *Hæc Scripturæ ſecre-*

(a) *Lib. XVI. de Civit. Dei Cap. II. Tom. VII. col. 416. D.*

creta divinæ indagamus . . . . neque niſi ad Chriſtum & ejus Eccleſiam, quæ Civitas Dei eſt, eſſe referenda: hac itaque lege quod nihil ſit in Scriptura non adnexum iis, quæ ex ſeſe complectuntur ſummam religionis, ideo tota quanta eſt pertinet ad fidem, ad mores, & ad ſalutem. *Omnis ſcriptura*, eſt apertiſſima ſententia Apoſtoli (*a*), *divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia*: cui apprime concinunt Hilarius (*b*): *Quidquid in his eſt, excelſum, divinum, rationabile, & perfectum eſſe exiſtimetur.* Chryſoſtomus (*c*): *Nihil enim temere vel fortuito loquitur divina Scriptura, ſed & ſyllaba, & apiculus unicus reconditum habet theſaurum.* Hieronymus (*d*): *Singula verba Scripturarum ſingula ſacramenta ſunt. Iſta verba, quæ ruſtica putantur a ſeculi hominibus, plena ſunt ſacramentis.* Neque juvat reſpondere, hæc per exceſſum & ſtylo populari prolata fuiſſe; quoniam reapſe veteres Patres & Theologi in adpendendis & librandis minutiſſimis Scripturarum verbis & apiculis magnopere inſudarunt; reapſe ex illis *Scripturæ locis*, quæ levia reputantur, theſaurum ſacramentorum expiſcati ſunt (*e*); & Eccleſia tandem nuſpiam diſtinctionem de Scripturis gravioris & levioris momenti ſubodorata eſt, tametſi ejuſdem utendæ præſentiſſimam habuerit occaſionem, quum aut in Concilio Tridentino congregata condidit Decretum de canonicitate Scripturarum, aut Sixtus V. & Clemens VIII. in præfationibus ſuorum Bibliorum de Scripturarum origine, integritate, & auctoritate diſſeruere. Non ignoro, Hæreticos omnes cum permultis Catholicis recentioribus haud

(a) *II. ad Timoth. III. v. 16.*
(b) *In pſal. CXXXV. Tom. I. col. 140. B.*
(c) *Homil. XVIII. in Geneſ. Tom. I. col. 112. D.*
(d) *In pſal. XC. Tom. VII. p. 116. C.*
(e) *Ut patet de hiſtoria canis Tobiæ, & de penula cujus ſollicitus fuit Paulus, ſuper quibus Domin. Gravina Lib. IV. Præſcript. controv. I. p. 14. col. 1. citat Chryſoſtomum, Ambroſium, & Hieronymum.*

mihi ſuffragio eſſe ; ſed quum obſtet ratio, & auctoritas Scripturarum veterum Patrum & Eccleſiæ, opinio quantumvis communis haud magni facienda. Id unum quoque ſcio, doctrinam de Scripturis pertinentibus ad fidem & mores, & de aliis quæ non ſunt momentoſæ, a Novatoribus ſumpſiſſe exordium, & Grotium, Epiſcopium, & impium Spinoſam præſidio hujus doctrinæ evulgaſſe, ſacros Scriptores etſi in magni momenti rebus conſcribendis divinitus afflatos, in aliis vero ad fidem & mores non attinentibus falli potuiſſe, & interdum falſos. Nec finis: Præfata doctrina de Scripturis authenticis in rebus tantum fidei & morum, ſuo modo e tenebris inferorum extumulat hæreſim antiquorum Manichæorum, ſimulque roborat deliria recentiorum Anabaptiſtarum, & Servetanorum amico voto delirantium, periiſſe veras divinas Scripturas, & nobis vix eas adeſſe ab antiquis Hæreticis depravatas, quandoquidem præfata doctrina, in rebus tantum fidei & morum admittit hodiernas Scripturas eſſe authenticas. *Item*, maxima ex parte fruſtratur regale illud beneficium, quo Deus dignatus fuit humano generi mittere Epiſtolam verbatim deſcriptam ab hominibus Spiritu Sancto afflatis; quoniam tam amplam epiſtolam vix quoad pauca, ſive in rebus fidei & morum, libet noſtris adverſariis pro authentica habere. *Tandem*, neque cohæret, nec cohærere valet cum decreto Concilii Tridentini uti exponemus num. 628.

521. *Inſtabis ſecundo* cum Waltono (*a*). Mendæ quibus Originarii ſunt obnoxii non obſtant authentiæ eorundem, tum quia ſunt levioris momenti & ex errore ſcribarum irrepſerant; tum etiam talia errata ex aliis codicibus emendari poſſunt, & quotidie emendantur; tandem quum hujuſmodi mendæ in omnibus Verſionibus reperiantur, & in vulgata Latina multo plures & majoris momenti, quam in codicibus Originariis, profecto, ſi authentiam

(a) *Proleg. VII. §. 17. p. 285. col. 1.*

tiam Scripturæ tollerent neceſſario ſequeretur, nullam Scripturam hodie authenticam extare, nec Eccleſiam regulam certam fidei & morum habere, quod omnibus *ατοπον* & abſurdum, & maxime DD. Pontificiis, qui adhærentes Concilio Tridentino Latinam editionem authenticam eſſe contendunt. *Quot millia*, inquit, *variarum lectionum, quarum pars altera neceſſario erronea eſt ante correctionem Sixtinam & Clementinam collecta & emendata? multas etiam poſt iſtorum Pontificum editiones remanſiſſe, quæ correctione indigebant, tum ex Epiſtola Bellarmini . . . . ad Lucam Brugenſem; tum ex iis, quas poſtea collegit idem Lucas, liquet. Et in Bibliis Latinis juſſu Clementis VIII. recognitis diſerte affirmatur*, quod in illa pervulgata editione multa quæ mutanda videbantur immutata relicta ſunt. *Et poſtea*, Biblia non ſunt a nobis accuratiſſime caſtigata &c. *His tamen non obſtantibus* (Romanenſes) *Latinam editionem authenticam eſſe contendunt*; ergo non obſtantibus mendis quibus Originarii ſcatent adhuc erunt authentici.

522. *Contra*. Si mendæ, quibus *hodierni Originarii obnoxii* ſunt, authentiam non tollent, plane quævis Scriptura referta vitiis plene probabit, ſicque nullum erit diſcrimen inter Scripturam authenticam & non authenticam: *Inſtrumentum*, eſt Juriſconſultorum doctrina, *continens inveriſimilia nullam fidem facit & falſum præſumitur*; & ex Authent. *ad hæc* C. de fide Inſtrument. & ex Cap. *ex litteris* de fide Inſtrument. (*a*): *Defectus litteræ, raſuræ, lituræ, caſſaturæ in loco ſuſpecto vitiat ſcripturam*. Porro in hodiernis Originariis tot occurrunt vitia, & variantes lectiones, ut pene nequeant numerari. Si de ſolis locis, quæ in Hebræo Judæi malitioſe corruperunt, fiet mentio, *Plurima*, fert Fraſſenus (*b*), *exempla proferunt Jacobus Gordonus*,

(a) *Apud Joſeph. Sorge Tom. VIII. Cap. LXVII. de Scriptur. public. p. 478. edit. Neap. 1743.*
(b) *Diſquiſit. Bibl. Lib. II. Cap. V. p. 329.*

nus, Huntlæus, Bonfrerius, Leo Castrius, qui speciali libro profert plusquam quadringentos textus Judæorum mala fide scriptos & in odium Christianorum depravatos, & ex eo Marinus Mersennus. Item, Textus Biblicus non est instrumentum humanum, in quo distinguuntur loca suspecta a non suspectis, quoniam quodlibet divinæ Scripturæ verbum, ut modo diximus, est fœtus Spiritus Sancti complectens thesauros Sacramentorum, & ad salutem spectans; proindeque quilibet locus vitiatus apud Originarios authentiæ eorundem refragatur.

523. Ad illud quod præfatæ mendæ sunt minoris momenti, & tantummodo injuria temporum & Scribarum oscitantia intrusæ, haud opus est dicta repetamus, quibus adiicies dicenda num. 538. Duntaxat velim observes confidentiam, qua Waltonus non veretur ad Scribarum oscitantiam ea etiam errata amandare, quæ veteres Patres & cordatiores Recentiores unice tribuerunt pravo Judæorum & Hæreticorum studio: pariter miraberis ejusdem prætoriam po*testatem, qua jactitat hodiernos* Originarios restituendos, & reapse restitui pristino nitori, quo nimirum clarebant tempore Prophetarum & Apostolorum; quum e contra toto fere superiori capite ostensum sit, id hodie esse irritum, difficile, & impossibile, tum propter linguæ Hebraicæ aliarumque linguarum Orientalium præsentem imperitiam; tum propter defectum Biblicorum codicum, qui nobis non *suppetunt; tum tandem* propter conditiones, quæ huic *negotio operam dantibus necessariæ forent*, quibusque Recentiores sunt destituti.

524. Postremum momentum ortum ducit ex mala intelligentia illius Vulgatæ, quam Concilium Tridentinum declaravit authenticam, ex communi præjudicio quo autumatur in Vulgata Clementis supereſſe menda corrigenda, & ex minus adcurata interpretatione verborum præfationis Clementinæ; quæ quippe tria ex dictis, & amplius ex dicen-

cendis patebunt (a). Interim satis habeo dicere, Concilium Tridentinum ex tot Latinis editionibus, quæ eo tempore circumferebantur, ne unam quidem declaravit authenticam, sed solummodo ipsam Vulgatam veterem, præscindendo ab ista & illa editione, in quibus eadem Vulgata nonnullis fœdata mendis continebatur; qua de caussa statuit & decrevit, ut fieret impressio novæ editionis, quæ emendatissime & exactissime exhiberet ipsam Vulgatam veterem, ut nimirum ab antiquo Interprete editam, sublatis omnibus mendis, quæ in eas recentiores editiones irrepserant: quod plane opus aliquando a S. Sede cœptum & ob alias occupationes intermissum, vigilantissimus Sixtus V. revocavit & confecit, quamquam ob non pauca præli vitia in sua Biblia intrusa Clemens VIII. ad optatum finem illud perduxit; atque ita quum ipsa Vulgata vetus, quam Concilium declaravit authenticam, Sixtus emendavit & Clemens prodidit in lucem, nullum penitus mendum correctione dignum complexa fuerit aut complectatur, idcirco Waltonus dupliciter fallitur in asserendo, quod in Vulgata, quam agnoscimus pro authentica, fuerint & supersint menda corrigenda, & quod hac pari lege hodierni Originarii habendi sint pro authenticis; quinimmo nobis incitamento est, ut eodem argumento ipsum perstringamus. Quia Vulgata nullum complectitur mendum correctione dignum, ideo nos eam habemus pro authentica; ergo quum hodierni Originarii corruptelis abundent, plane authentici non erunt. Ita quoque absurdum quod opponit nobis contra ipsum militat; nos enim tuemur ipsam Vulgatam veterem semper in se authenticam fuisse tam quoad sensus quam quoad verba, & duntaxat quoad nos PP. Tridentinos eandem declarasse authenticam; proferant modo Neoterici, qui-

(a) *Quoad primum adi num.629. & seqq.; quoad secundum in sequenti Demonstratione; de tertio n. 657. 679. propius tandem Demonstratione tertia.*

quinam eſt ille codex Scripturæ, quem habeant pro authentico ſecundum ſenſum & verba? quod ſi nullum aſſignare queunt, ipſi implicite denegant hodie Scripturam authenticam extare, & Eccleſiam habere certam fidei & morum regulam; ipſi enim de ſingulis ferme verbis tam hodiernorum Originalium quam Vulgatæ verſionis dubia excitant, & conſequenter confundunt verborum ſenſus, quoniam ſenſus nonniſi ex verbis & verborum textura eruuntur; itaque ſemel conceſſa in omnibus Scripturæ Textibus & Contextibus etiam Vulgatæ Clementis ambiguitate & incertitudine verborum, opus eſt, concedatur quoque ambiguitas & incertitudo ſenſuum, ſicque nulla Scriptura per eos hodie extat quæ ſaltem ſecundum ſenſus ſit authentica, quo quid falſius & abſurdius, viri docti videant.

525. *Obiicies I.* cum Waltono (*a*). Originaria ſcripta ſive Autographa proprie & per ſe authentica dici; exemplaria ſive Apographa dicuntur authentica non proprie & per ſe, ſed quatenus cum Originali conveniunt; Verſiones vero proprie authenticæ non ſunt, ſed auctoritatem ſuam habent ex convenientia cum libris Originariis, ex quibus ceu fontibus tradactæ ſunt. Porro ipſa Prophetarum & Apoſtolorum Autographa omnium proprie authentica ſunt, ut quæ a Spiritu Sancto dictata. Textus Hebraicus teſtimonium habet Chriſti & Apoſtolorum, qui ex eo doctrinam ſuam confirmarunt, & omnes ad ejus lectionem hortati ſunt: quod nunquam feciſſent niſi pura & incorrupta fuiſſent exemplaria Autographis reſpondentia; Novi vero Teſtam. codices Originarii multis ſeculis poſt Apoſtolorum tempora ſervati ſunt, & ex antiquiſſimis ſcriptoribus Eccleſiæ, qui iſta Apoſtolorum Autographa conſulere poterant, & ex locis Scripturæ ab ipſis citatis, quæ amuſſim congruunt cum noſtris codicibus, conſtat, codices hodiernos eoſdem plane eſſe cum ipſis Autographis; conſequenter jure ſummo habendi ſunt pro authenticis.

Re-

(a) *Proleg. VII. §. 16. p. 184.*

Reſpondetur. Concedimus utique tam Apographa quam Verſiones in tantum authentica eſſe in quantum cum Autographis conveniunt, ſed quod iſthæc tantum ſint proprie & per ſe authentica non autem verſiones Græcæ, & Latinæ tametſi fideliſſimæ ſint & exactiſſimæ, denegamus. Ipſo Waltono teſte vocem hanc (*Authenticum*) a Juriſperitis Theologi mutuati ſunt; at ex nuper dictis num. 517. Juriſperiti præfatam vocem uſurparunt ad ſignificandum, Latinas conſtitutiones Juſtiniani fuiſſe ex Græco originali ad litteram traductas; ergo ſi vocem *Authenticum* aſſumpſerunt non in gratiam originarii Græci ſed verſionis Latinæ, profecto juxta acceptionem juriſprudentum vox *Authentica* potiori jure quadrat Verſionibus, quæ exacte reſpondent Originariis quam Originariis ipſis, vel ſaltem dicamus oportet æqualiter & pari lege. Quocirca curſim velim obſerves, quam apprime PP. Tridentini ad indicandam litteralem perfectiſſimamque conſonantiam, quæ eſt inter Vulgatam veterem & Autographa Prophetarum & Apoſtolorum ſtatuerint, eam ab omnibus fidelibus pro authentica habendam; & quam frigide Neoterici egerint ſimiam tribuentes eandem vocem *Authenticam* Originariis hodiernis, qui ingentibus corruptelis ſunt obnoxii, & longe diſtant ab Autographis.

526. Quod vero diligenter animadvertendum hic venit, vox *Authentica* convenit Vulgatæ veteri, non tantum quia exacte congruit cum Autographis Hebræo & Græco, ſed inſuper quia reſpectu occidentalis Eccleſiæ præfefert rationem Originarii & fontis, quantum videlicet ſpectat non quidem grammaticalem harum vocum ſignificationem, ſed moralem, ideſt, quantum ad ſupremam auctoritatem, quæ Originariis incorruptis propria eſt. Ut enim apud Hebræos Textus Hebraicus, & Græcus apud Græcos, ita apud Latinos Textus Latinus authentiam Originalium obtinuit, uti non obſcure coniicitur, tum ex titulo Crucis Chriſti præfatis tribus linguis atque elementis Hebraicis Græcis

& Latinis conſcripto: *Sancta myſteria*, probe præclariſſimus Sixtus V. (a), *oraculaque divina quæ ſacris continentur libris ſicut in cunctarum gentium ſalutem parabantur, ita a tribus illis potiſſimum enunciarentur linguis . . . . quæ ſanctiſſimæ Crucis titulo conſecratæ Salvatoris noſtri regnum Hebræis Græcis, ac Latinis litteris prædicarunt;* tum ex Libris manu Prophetarum & Apoſtolorum exaratis, quorum nonnulli deſcripti fuerunt Hebraice, alii Græce, & pauci ſermone Latino (b); tum ex divino præſidio quod ſanctis hominibus ſpeciatim adfuit, quandoquidem ſicut Prophetæ & Apoſtoli divinitus acti ſcripſerunt, aut Hebraice, aut Græce, aut Latine, ita cœleſti afflante Numine Septuaginta ſeniores Hebræum fontem Græco ſermone reddiderunt, & aliquis Apoſtolorum diſcipulus ſive diſcipuli Spiritu Sancto pleni verſionem Latinam utriuſque Teſtamenti adornarunt; tum ex ipſo Scripturarum religioſo uſu, ut enim Synagoga quamdiu floruit conſecravit Scripturam Hebræam, Eccleſia Chriſti

(a) *Initio diplomatis incip.* Æternus ille *&c.*

(b) *Doctiſſimus Salmeron Prolegom. XXVI. p.*432. *D. Marcum ejus Evangelium Latino ſermone edidiſſe probat teſtimonio multorum Syrorum & Græcorum, potiſſimum Catachuzeni & Gregorii Nazianzeni; tum S. Damaſi Papæ, Rodulphi Armacani, & Jacobi a Voragine: agit inſuper rationibus, tum ex eo quod Marcus, Clemente Alexandrino teſtante, ejus Evangelium ſcripſit in urbe Roma, ubi vulgus ex num.* 254. *& ſeqq. loquebatur Latine; tum ex quibuſdam Latinis vocibus uſurpatis a Marco, ut vox denarii, cenſus, minuti, Centurionis, prætorii quæ Latiniſmum ſapiunt; tum etiam dato verum non eſſe quod a pleriſque traditur, nimirum, Arhetypum Latinum D. Marci apud Venetos in D. Marci Bibliotheca aſſervari, dato etiam quod nullum aliud revera extet exemplar vetuſtiſſimum Latinum D. Marci, nec rite infertur, non fuiſſe a primo Latine editum: quemadmodum juxta communiorem ſententiam Matthæus Hebraice ſcripſit, licet hodie hujuſmodi exemplar vetuſtiſſimum Hebraicum nec reperiatur; ac propter ea ex æquo dici poteſt id accidiſſe, quia ab aliquo Apoſtolico viro ſtatim in Græcum ſermonem utrumque Evangelium converſum fuit, atque ita eodem ſermone Græco quo generalius tunc temporis utebatur, utrumque fuiſſe generalius evulgatum. Hoc ipſum ſentit laudatus Salmeron de Epiſtola ad Romanos, non abs re id conjectans ex illo* Tertio *vel* Teruntio *cap.* 16. *ad Rom., quod quippe Latinum eſt; & ex lingua Latina quæ apud Romanos erat vernacula, & ad quos Paulus ſcribebat; eo ferme pacto quo Græco ſermone uſus fuit, quum ad Græcos ſcripſit.*

ſti orientalis Scripturam Græcam, ita Romana Eccleſia omnium Eccleſiarum mater & magiſtra Latinam; tum ex ſumma veneratione, qua veteres Eccleſiæ PP. Scripturam Hebraicam Græcam & Latinam proſecuti ſunt, adeo ut ex æquo pro divinis habuerint Hebræa, Græca, & Latina: *Veſtigia*, inquit Auguſtinus (a), *ſequens Apoſtolorum, qui & ipſi ex utriſque, ideſt ex Hebraicis, & ex Septuaginta teſtimonia Prophetica poſuerunt, utraque auctoritate utendum putavi, quoniam utraque una atque divina eſt* (b): quodque ſpeciminibus reſtaurabimus n. 623.; tum ex inſigni præferentia Eccleſiæ Chriſti potiſſimum Romano-Latinæ ſupra veterem Synagogam; quæ ſi proprio Hebræo ſermone cæleſtia oracula accepit, tantum abeſt, ut vel ſuſpicemur, noſtram Eccleſiam columnam indefectibilis veritatis tam præclaro beneficio abire deſtitutam (c). Quid plus? Etiam Miſſa, quæ eſt repræſentatio paſſionis D. N. Jeſu Chriſti præfatis tribus linguis celebratur: *Notandum*, inquit Hugo a S. Victore (d), *quod tribus linguis Hebraica Græca & Latina Miſſa celebratur . . . Hebraicum quippe eſt* Alleluja, Oſanna, & Amen; *Græcum vero* Kyrie eleiſon; *Latinum, reliquum officium*. Immo ut cognoſcatur quod non Hebraica, ſed lingua Græca, & Latina in Chriſtianorum doctrina concordent, ideo eodem Hugone obſervante (e) Pontifex in dedicatione alicujus Eccleſiæ duplicem Alphabetum in pavimento deſcribit, Græcum nimi-

(a) *Lib. XVIII. de Civ. Dei Cap.* XLIV. *Tom.* VII. *col.* 527. C.

(b) *Per Hebraicum Auguſtinus non Hebræum Textum hic intelligit, ſed Latinam editionem Hieronymi, quæ ſola inter alias Latinas illius ævi adpenſa fuerat ad Hebræum Textum: & eo vel maxime quod Hebraicæ imperitus erat, & inſuper Capite præcedenti col.* 625. C. *ſatis explicat, ſe teſtimonia aſſumpturum ex ea Scriptura quam ex Hebræo Hieronymus concinnarat, idipſum confirmans Lib.* IV. *de Doctr. Chriſt. Cap.* VII. *Tom.* III. *col.* 70.

(c) *Conſuleſis dicenda n.*539. *&* 584.

(d) *Lib.* II. *de officiis Eccleſiaſticis cap.* XII. *Tom.* III. *p.* 262. *B.*

(e) *Lib.* I. *de officiis cap.* III. *p.* 255. *D.*

mirum, & Latinum, non autem Hebraicum. In eo autem tam Hebraicæ quam Græcæ Latina Biblia præstant, quod circa initium secundi seculi æræ christ. omnibus præfatis Bibliis magis minusve depravatis, sola Latina Biblia bis restaurata sunt, suoque pristino nitori restituta, primum a doctissimo & Sanctissimo Hieronymo, tum ab ipsamet Apostolica S. Sede sub Romanis Pontificibus Sixto V. & Clemente VIII. Ea de re non immerito plerique Theologi passim affirmarunt, Vulgatam Latinam habendam esse pro ipsamet Originali Scriptura. *Pro certo*, legitur in Præfatione Bibliorum Parisiensium pag. II. *atque indubitato apud nos esse debet: Vulgatam editionem . . . verum esse ac genuinum sacræ Scripturæ fontem*. Ramos in defensione Vulgatæ, & Pineda (*a*) affirmant, Concilium illis verbis *habeatur pro authentica* definisse, *editionem Latinam in omnibus suis partibus esse canonicam, ipsique eandem fidem in omnibus deberi, ac si esset Originalis Scriptura*. Stephanus Menochius (*b*): *Vulgatæ nostræ editionis auctoritas apud Catholicos summa esse debet, & reipsa est*: Antonius Casinus (*c*): Deus vult Vulgatam haberi *perinde, ac si esset Scriptura prorsus Originalis; & propterea sic habenda*. Quibus adcurate animadversis, arbitror fore ut æquus Lector sponte intelligat, quam inscite, quam perfunctorie Novatores ad præfatum cavillum confugerint.

Quantum vero spectat cæteras argumenti partes haud longius immoremur oportet, quum ex dictis earum infirmitas satis superque constet. Nemo siquidem vir cordatus inficiatur Autographa Prophetarum & Apostolorum summæ fuisse auctoritatis, Christum & Apostolos suam doctrinam confirmasse oraculis Vet. Testam., quæ eo tempore limpide fluebant tam apud Hebraicos quam Græcos codices; atque ita

(a) *Apud Silveiram Resol.* IV. *Opusc. n.* 541.
(b) *Proleg. in sac. Script. Cap.* XVIII. *p.* 8. *edit. Colon. Agrip.* 1630.
(c) *Cujus integra verba habes in Præfatione hujus operis* §. XIII.

ita jure meritoque vetus Testamentum scrutandum Christus & Apostoli suos auditores monebant. At quæstio nobis non est de authentia Autographorum, vel eorum exemplarium quæ Apostolorum ætate in usu erant; bene vero de illis quæ hodie nobis adsunt, quorumque depravationem abunde ostendisse credimus: longe itaque Waltonus a scopo aberrat. Quum vero addit, codices Originarios novi Testam. multis seculis post Apostolorum tempora servati sunt; id sane poterit imperitis suadere, quum ex testimoniis allatis num. 154. & seqq. unicuique datum est intelligere, neque Irenæum, neque Origenem, neque Hilarium, Ambrosium Hieronymum, aliosque proceres originalium Apostolorum, habuisse usum, alioquin mediantibus istis longe validius sacrilegium Hæreticorum corrumpentium loca novi Testam. cohibuissent (*a*).

527. *Obiicies II.* Codices Originarios fuisse etiam tempore Hieronymi authenticos nemo qui sane sapit poterit dubitare, quum ex ipsis Hieronymus nostram Latinam editionem deprompserit; quo *enim pacto hæc integra*, & authentica esse posset, si ex authenticis codicibus non fuisset hausta: hinc iis qui hodie affirmant, Originarios non esse authenticos, probandi onus incumbit quod corrupti jam sint & de gradu authentiæ disjecti: quod si ostendere non possunt, recipi debent uti sunt in possessione auctoritatis suæ. *Item*, ipsum nomen fontis satis indicat Textum authenticum; & apud veteres frequens est mentio *authentici, & Hebraicæ veritatis*, quæ elogia *sine debita authentia* falso fuissent adhibita. *Tertio*, ad hoc ut Bibliorum codex haberi possit pro authentico, vel requiritur ut nullimode scateat mendis, aut non? si secundum, jam mendæ quibus hodierni Originarii obnoxii sunt non obstabunt: si primum, neque Vulgata Clementis authentica erit, quoniam ipsimet codices Vaticani complectuntur pleraque præli vitia.

Tan-

(a) *Huc suo modo faciunt dicta apud nostram Apologiam n.* XX.

Tandem, bene multi doctiſſimi viri de Romana Eccleſia tuentur authentiam hodiernorum Originalium.

528. *Reſpondetur*. Nemo ut Hieronymus nobis ſuffragio eſt ad probandum, Originarios ante Hieronymi tempora amiſiſſe ſinceritatem & authentiam; alioquin ab eiſdem nullimode in ſua nova verſione concinnanda diſceſſiſſet, uti oſtendimus n. 126.; ſicque primum argumentum conſiſtit in gerrarum cumulo. *Ad ſecundum*, quod pariter fumo vocum nititur, dicimus, Textus Hebræus veteris Teſt. Græcuſque novi vocantur fontes ad differentiam Verſionum, quæ tamquam rivuli ex ipſis aut immediate aut mediate derivatæ ſunt, non autem quatenus priſtina puritate & authentia hodie etiam potiantur. Qua vero lege veteres exornarint Hebræum Textum epithetis *authentici*, *& Hebraicæ veritatis* ſatis expoſuimus num. 102. *Ad tertium*, illæ mendæ impediunt authentiam Bibliaci codicis, quæ ſunt cauſſa, unde ex ſe non faciat certam fidem, & ab aliquo reiici vel in quæſtionem vocari poſſit: quum autem præli vitia, quæ irrepſerant & irrepent in codices Clementinos, minime tollant certam fidem eorundem locorum Scripturæ ubi inveniuntur, quoniam præſidio illius Regulæ quam initio operis tradidimus, facili negotio innoteſcere poteſt, quid & quomodo de mente ipſius S. Sedis eo loci legendum ſit, idcirco authentiam eorundem Bibliorum nec impediunt nec tollunt; at vitia quibus abundant hodierni Originarii neque conſiſtunt in ſolis mendis *typographicis*, neque Critici inter ſe conveniunt in eiſdem *agnoſcendis & corrigendis*, neque Eccleſia hactenus ſtatuit quænam ſint, & quid ſit eodem originali charactere & ſermone ſubſtituendum; & conſequenter ſicuti tollunt ab ipſis Originariis certam fidem, & excitant quæſtiones perpetuaque jurgia, ita authentiam eorundem impediunt & propulſant. *Quod tandem* ſpectat auctoritatem nonnullorum DD. Catholicorum, in primis minime rem iſtam ad rigoroſam exactamque criſim ipſis curæ fuit revocare, & aliorum potius fide ad oppoſitam ſententiam abierunt; hinc quidam

dam inquit: *Quod ab uno ſemel traditur ſtatim reliqui arripiunt & mordicus tuentur*, vel ut de Ariana hæreſi Hieronymus ſcripſit (*a*): *Arius in Alexandria una ſcintilla fuit, ſed quia non ſtatim oppreſſa eſt, totum Orbem populata eſt. Præterea*, non ſufficit ut vir quantumvis clarus & eximius autumarit Originarios hodiernos authenticos eſſe, ſed diſpiciendum ſedulo queis principiis, utrum firmis & ſibi conſtantibus, an vero gracilibus & ſibi non cohærentibus id protulerit; *item*, attendendum, quænam ſententia magis congruat cum veritate nuda, cum decreto Concilii Tridentini, & cum diplomatibus Sixti V. & Clementis VIII. hæc inquam diligenter revolvas velim, & quod verius religioſiuſque videbitur, eligas.

COROLLARIUM II.

Hodierni fontes Hæbrei veteris Græcive novi Teſtamenti, Vulgatæ Sixti V. & Clementis VIII. neque præferendi, neque coæquandi.

529. Licet iſtud & ſequens corollarium inevitabili conſecutione enaſcantur ex primo, nihilominus quum Recentiores peculiaribus monumentis nitantur ſuadere præferentiam hodiernorum fontium, & ad normam iſtorum Vulgatam Sixti & Clementis emendandam fore, id mihi cauſſæ eſt, ut ſingulatim de eiſdem edifſeram.

Probatur aſſertum I. Eccleſia Chriſti Latina nuſpiam fontes Hebræi veteris Teſtam. Græcive novi prætulit, aut coæquavit Latinæ editioni; ergo multo magis hodie neque præferendi, neque coæquandi ſunt Vulgatæ Sixti & Clementis. Prob. antecedens. *Eccleſia Latina*, fert Doctiſſimus Salmeron (*b*), *per hanc potiſſimum editionem* (Latinam) *ortas*

(a) *Lib.* III. *ad Galat. Tom.* VI. *pag.* 148. C.
(b) *Proleg.* III. *p.* 24. *col.* 1.

tas hæreſes confutavit : quid credere , quid operari filii ſui debeant , docuit : illam ad divina officia , ad conciones , ad diſputationes publicas conſtanter adhibuit . Denique in omnibus ad Eccleſiæ ædificationem ſpectantibus , ſive ad Hæreticos & Schiſmaticos , qui omni tempore pullularunt , revincendos ſive ad fideles arguendos , vel erudiendos , ac conſolandos in medium propoſuit (a) : quomodo ergo Latina Eccleſia fontes prætulit aut coæquavit Vulgatæ editioni , ſi nuſpiam illis uſa eſt , ſed unice & ſemper Textum Latinum adhibuit , tam in publicis privatiſque lectionibus & prædicationibus , quam in definiendis rebus fidei & morum , & in extirpandis hæreſibus? Quoniam Recentiores contendunt fontes præferendos eſſe Vulgatæ , ideo monent ad normam fontium , & non Textus Latini controverſias fidei & morum definendas ; ergo ſi Latina Eccleſia ab ortu ſuo uſque hodie nuſpiam ad normam fontium eaſdem controverſias definivit, plane nuſpiam Latinæ editioni fontes prætulit aut coæquavit . Neque velim patiaris ſeduci a nugis Neotericorum dicentium , id accidiſſe propter imperitiam linguæ Hebraicæ & Græcæ ; quia ad intentum noſtrum ſufficit quod Eccleſia Latina nuſpiam fontibus uſa fuerit in lectionibus definitionibus &c. , ſive id acciderit ex imperitia linguarum , ſive aliunde : *Eſt traditio* ? pulchre Chryſoſtomus (b) , *nihil quæras amplius . Secundo* , omnibus compertum eſt primis Eccleſiæ ſeculis haud Romæ defuiſſe eruditos qui Græcam callerent , & in Oriente qui intelligerent & loquerentur Syriace , quæ lingua magis cum Hebræo quam cum Græco ſermone convenit , & tamen neque Chriſtiani Romani habuerunt uſum Textus Græci novi Teſtamenti , neque Orientales , adhibuerunt Hebræum Textum , ſed verſionem Viralem , ut patet ex octo Conciliis Generalibus in Oriente ce-

(a) *A quovis viro æquo & veritatis amatore allegata Salmeronis ſententia habenda eſt pro rata & explorata , ex dictis §. II. Cap. IV. & ex dicendis §. II. Cap. II. Demonſtrat. II.*

(b) *Homil. IV. in Epiſt. II. ad Theſſal.*

celebratis (a) , in quibus teſtimonia Scripturarum non ex fonte Hebræo , ſed ex verſione Virali & Latina aſſumpta comperimus; non ergo imperitia linguarum cauſſa fuit , ut Latina Eccleſia non fuerit uſa Originariis Textibus . Immo ſi nobis propoſitum eſſet reddere rationem , cur Eccleſia Orientalis loco Hebræi fontis conſecrarit Græcam Septuaginta , & Latina Eccleſia Textum Latinum? id contigiſſe reor ex mandato ipſorum Apoſtolorum : *Quod* , eſt Aquilini Doctoris aurea regula (b) , *univerſa tenet Eccleſia , nec Conciliis inſtitutum , ſed ſemper retentum eſt , nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur* ; & per conſequens Latina Eccleſia jure , Latinæ editioni nec prætulit nec coæquavit fontes . Quod autem potiori jure hac noſtra ætate neque ſint præferendi & coæquandi , luce clarius adfulget tum ex parte fontium quorum exemplaria minus vitioſa erant ſuperioribus ſeculis ac hodie , tum ex parte ipſius Vulgatæ , quæ licet in omnibus codicibus bis fuerit referta mendis , nimirum ante Hieronymum & ante Sixtum V. ; hodie tamen in codicibus *Clementinis* perpolitam habemus .

530. *Probatur II.* Eiſdem principiis ſparſim hactenus enucleatis . Idcirco Hæretici tuentur præferentiam hodiernorum fontium , quia ſupponunt fontes hodiernos eſſe integros & authenticos ; ſed ex dictis eruitur omni corruptelarum genere illos abundare , ob idque authenticos non eſſe ; ergo irrationabiliter affirmatur præferentia hodiernorum fontium . *Item* , ubi Textus Latinus *quaſi per manus ab ipſis Apoſtolis aut ab Apoſtolorum diſcipulis ad nos* uſque pervenit , hodiernum Hebræum nonniſi ex manibus Judæorum inimicorum crucis Chriſti accepimus . Ubi Textus Latinus ſacro perpetuoque uſu a primo uſque hodie conſecratus eſt

(a) I. *Nicænum an. Chriſti* 327. II. *Conſtantinopolitanum an.* 338. III. *Epheſinum an.* 439. IV. *Chalcedonenſe* . V. *Conſtantinopolitanum ſecundum an.* 556. VI. *Conſtantinopolitanum tertium an.* 680. VII. *Nicænum ſecundum an.* 687. VIII. *Conſtantinopolitanum quartum an.* 787.

(b) *Contra Donat. de Baptiſmo Lib.* IV. *cap. ult. Tom.* IX. *col.* 140. *C.*

a ferme innumerabilibus viris Doctis & piis, fontes hodierni vix a tribus retro seculis apud Christianos sunt introducti, eruti quoque ex quibusdam manuscriptis, quorum ætas, Auctores, & religio Auctorum, eorumque, qui ab injuria temporum servarunt, haud nobis certo innotescunt, & insuper typis mandati ab editoribus maxima ex parte suspectæ fidei. Ubi peritia sermonis Latini, qua valemus sine ambiguitate Vulgatam veterem intelligere, constanti seculorum serie in Ecclesia Occidentali floruit & viget, minime id affirmare possumus de peritia illius Linguæ Hebraicæ & Græcæ, quæ hodie in scholis traditur. Ubi tandem, ut alia missa faciam, circa intelligentiam fontium tor ferme occurrunt interpretationes quot sunt Interpretes, secus circa intelligentiam Vulgatæ editionis; & consequenter si tot aliisque super, expositis principiis editio Latina fontibus antecellit, isti plane neque præferendi sunt neque coæquandi.

531. *Probatur III.* Testimoniis Theologorum haud infimi subsellii. Ambrosius Catharinus Theologus Concilii Tridentini in Libello apologetico contra Cajetanum, passim eundem redarguit propterea quod plurimis in locis ausus fuerat detrahere tam Vulgatæ veteri, quam antiquo Interpreti, utrumque postponendo hodiernis fontibus & recentibus Interpretibus: legesis præfatum Libellum, in cujus Præfatione Ambrosius protestatur eas Scripturas toto se corde suscipere, pleno ore confiteri, & pro virili defendere quæ Apostolica auctoritate tradita sunt, ut est Vulgata vetus; non autem illas quas ad fidem hodiernorum fontium tam Hæretici quam Cajetanus cæterique Hebraistæ noviter exposuerant.

Melchior Canus (*a*): *Si qua morum & fidei quæstio inter Catholicos exoriatur, eam definire oportere per Latinam hanc veterem editionem . . . . In fidei ac morum disputatione*

(a) *Lib.* II. *de locis Theolog. Cap.* XIII. *p.* 53. *col.* 2.

tione non esse nunc temporis ad Hebraica Græcave exemplaria provocandum, nec ex iis certam controversiarum fidem esse faciendam. Quod si Canus ita sentit de Vulgata vetere quæ suo tempore scatebat nonnullis vitiis levioris momenti, multo magis idipsum asseruisset si inspexisset eandem Vulgatam ab omnibus mendis sub Sixto & Clemente perpolitam. Neque scrupulum in Lectorem iniiciant particulæ illæ *in fidei ac morum disputatione*, tum quia Scriptura data est nobis pro regulandis iis rebus, quæ spectant ad fidem & mores, non autem quæ nullimode religionem tangunt; & insuper Canus scribebat eo tempore, quo exemplaria Vulgatæ immunia erant ab iis tantum vitiis, quæ fidem, & mores non lædebant.

Sixtus Senensis (*a*): *Si rejectis vetustis editionibus, recentiores quotidie translationes in Ecclesiam introducere contendimus, quis erit aut finis, aut modus interpretandi sacros libros . . . . . ; dum interpretes* (fontium) *summa inter se dissentione certantes, alter alterum rejicit, confutat & damnat . . . . Quod si quis superveniens dixerit, neutri editioni standum, sed ad Græcos, vel Hebræos fontes recurrendum, ut eorum lectione, proposita controversia finiatur, statim longe acrior nascetur contentio, dum uterque in suo errore pertinax, aliter, atque aliter Græcam, vel Hebræam vocem vertendam esse contender, præcipue si non ambigua fuerit, ut innumeræ pene apud Hebræos sunt . . . Itaque ut auferantur de medio omnes altercationes, dubitationes, & hæreses, quæ ex diversitate multarum editionum oriri possent, aliquam oportet esse interpretationem . . . Ecclesiæ determinatione probatam, cujus auctoritate omnes ejusmodi controversiæ tollantur.*

532. Thomas Stapletonus (*b*) differens de Scripturis primo traditis sermone Hebræo, postea Græco, tandem Latino,

(a) *Lib.* VIII. *Biblioth. S. Hæresi* XIII. *tom.* II. *p.* 1099.
(b) *Controv. V. de Potest. Eccles. Quæst.* III. *art.* 2. *p.* 525.

tino, concludit quod corruptis & varietate compugnantibus exemplaribus Hebraicis & Græcis, *Sola* ſubdit *Latina verſio, ſicut & Latinorum fides, pura & ſincera & orthodoxa remanſit.*

Gregorius de Valentia (*a*): *Ex dictis intelligitur nullo modo auctores illos audiendos eſſe, qui adhuc poſt Concilium Tridentinum contendunt, poſſe etiam nunc editionem Vulgatam per Hebraicos & Græcos codices tanquam per fontes (ut ajunt) in locis aliquibus, quod ad ipſam ſententiam attinet, emendari.*

Villalpandus (*b*): *Propter Hebræos, Græcos, aut Chaldæos Textus non licet recedere a Vulgata*; & alibi (*c*): *Neque enim piis viris licet levioribus quibuſdam grammatices obſervationibus S. Patres Eccleſiæ lumina reprehendere, nedum ſacram ipſam Vulgatam & probatam lectionem carpere quam nos & tueri pro viribus, ut tenemur, profitemur; itaut nullius vereamur pro ejuſdem defenſione ſubire vel offenſionem, vel reprehenſionem.*

Sforza Pallavicinus, in anteceſſum indicata corruptione hodiernorum fontium Hebræi & Græci infert (*d*): *Onde ora que' Teſti non ſono idonei teſtimoni a dimentire una ſpoſizione* (Latina) *sì lungo tempo ricevuta dalla Chieſa.*

Joannes Morinus (*e*): *Iniquiſſimum enim erat Eccleſiam Catholicam, quæ a Spiritu S. dicitur & conſtituitur columna & firmamentum veritatis, velut ſibi diffidentem ad inſenſiſſimos hoſtes poſt tot ſecula veritatis diſcendæ cauſſa relegare & compellere . . . . Hæc quis credat niſi reverentiam erga Eccleſiam prorſus exuerit, animumque induerit adverſus eam plane hoſtilem, & immani odio effexatum? . . . . Eccleſia vero Vulgatam verſionem incorrupte conſervatam fuiſſe teſtatur, ab eaque ad fontes provocare vetat: quid ultra tergiverſamur, ipſique fidei diffidimus?*

Guido Michael le Jay (*a*): *Quod vero Hebræo aliiſque Contextibus minus quam Vulgatæ verſioni ducimus deferendum nemo equidem nos erroris redarguat, niſi Evangeliſtas etiam ipſos, Apoſtolos, & priſcos omnes naſcentis Eccleſiæ Patres, ſimul audeat reprehendere, qui . . . ex LXX. potius interpretum verſione, quos tum Eccleſia ſequebatur, quam ex Hebræo fonte licet ſtante adhuc veteri Synagoga teſtimonia ſua . . . repetierunt.*

533. Joannes de la Haje (*b*): *Hac noſtra ætate non poſſe aliquem in controverſiis & diſputationibus ſive lectionibus verba aliqua Vulgatæ translationis reiicere, & ad Hebraica exemplaria recurrere.*

Bonfrerius (*c*): *Majorem verſionis noſtræ auctoritatem eſſe debere, quam Textus Hebraici. Catholicis loquor, nam frendeant oblatrentque Hæretici, per me licet.*

Fraſſenus (*d*): *Sequitur* (ex monumentis quæ antea expoſuit) *majorem verſionis noſtræ Vulgatæ auctoritatem eſſe debere, quam Hebraici Textus hodierni, tametſi frendeant oblatrentque Heterodoxi.* Similia ex eodem exſcripſimus n. 52.

Vincentius Gotti (*e*): *Eccleſia non permittit recurſum ad Textus Hebraicos & Græcos pro corrigenda ex illis Vulgata . . . nam Vulgata ab Eccleſia declarata eſt authentica, & conformis ſuo Originali puro & ſincero; Textus autem Hebraici & Græci qui modo ſunt, non ſunt ab eccleſia declarati ut tales, neque deciſum, eos eſſe fontes ſeu Originalia pura ac ſincera: non eſt autem emendandum id, quod nobis certo conſtat eſſe purum, & authenticum per id, quod nobis certo non conſtat*

(a) *Lib.* VIII. *Analyſeos cap. V. penes Morin. Lib.* I. *Exercit.* I. *cap.* 2. *p.* 13. *col.* 2. *D.*
(b) *In Ezechiel. Lib.* II. *Cap.* XXXII. *Tom.* III. *p.* 406. *col.* 2. *D.*
(c) *Lib.* III. *Cap.* XVII. *p.* 473. *col.* 1. *B.*
(d) *In Hiſtor. Concil. Trid. Lib.* VI. *Cap.* XVII. *n.* 3. *p.* 649.
(e) *Lib.* 1. *Exercit.* 1. *cap.* 1. *p.* 6. *col.* 2. *D.*

(a) *In Præfatione Polyglot. Pariſ. p.* II.
(b) *In Proleg. ſect.* XVI. *Cap.* III. *Tom.* 1. *p.* 80.
(c) *Proloquior. in Sac. Script. Cap.* XIII. *ſect.* V.
(d) *Diſquiſit. Bibli. Lib.* II. *Cap.* V. *p.* 338.
(e) *De verit. Relig. Chriſt. Cap.* VIII. §. III. *Tom.* II. *p.* 173.

ſtat eſſe tale . . . ideo ſtante diverſitate inter Textus & Vulgatam, non poſſumus tuto affirmare mendum eſſe in Vulgata, ſed potius in Textu, nec corrigere Vulgatam per Textum, ſed potius Textum per Vulgatam.

Antonius Caſinus tandem, ut alios bene multos Theologos prætermittam (*a*): *Ex Concilii decreto nulla prætendi cauſſa poteſt, reiiciendi teſtimonium Vulgatæ: ergo nec propter Textus Originales reiici poteſt: ergo Textuum Originalium tantum valet auctoritas, quantum permittit Vulgata: ergo a Concilio non ſolum Vulgatæ poſthabiti, ſed etiam ſubditi ſunt.*

534. His itaque tot virorum Catholicorum ſententiis exue quæſo Lector optime ſi eam perſuaſionem induiſti, qua Waltonus aliique Recentes affirmant, *quid opus eſt teſtimonia coacervare, quum habeamus Eccleſiæ Romanæ viros doctiſſimos quorum aliqui Concilio Tridentino interfuerunt, confitentes nihil contra Textuum Originalium authentiam Concilium decreviſſe, nec Vulgatam Latinam fontibus prætuliſſe:* namque habes Catharinum, Canum, & Salmeronem, qui Concilio interfuere, habes Sixtum Senenſem qui eodem tempore floruit, habes tot alios Theologos, qui non interrupta ſucceſſione adſertum noſtrum prodiderunt. Fateri non vereor, pleroſque horum aliorumque Theologorum interdum adverſæ quoque ſententiæ ſuffragium præſtare; ſed unum ſcio, in duobus oppoſitis minime veritatem, quæ una & indiviſibilis eſt, ineſſe poſſe: hinc divinis oculis perſpectum eſt, utrum gloriolæ captandæ, an reperiendi veri cauſſa quartum argumentum directe adverſus eos Catholicos qui oppoſitum ſentiunt, ut ut ſum, ſubiiciam.

535. *Probatur IV.* Concilium Tridentinum Latinam veterem editionem declaravit authenticam, quam poſtea Sixtus V. caſtigavit, & Clemens VIII. prodidit in lucem; ſed ex quo Concilium Vulgatam declaravit authenticam, de

(a) *In Encyclopæd. diſput.* IV. *p.* 31. *col.* 1.

de conſequenti eam prætulit hodiernis fontibus Hebræi veteris Teſtam. Græcive novi; ergo Catholici, quorum religio eſt parere Tridentino decreto, oportet aſſertum noſtrum adoptent & tueantur. *Probatur min.* Concilium idcirco veterem Latinam editionem declaravit authenticam, ut opportunum remedium adhiberet pro extirpatione ſceleſtiſſimæ Hæreſis illius temporis, qua Sacramentarii, Anabaptiſtæ, Servetani, & Lutherani aſſerebant teſte Sixto Senenſe (*a*): *Rejectis omnibus ſacroſanctæ Scripturæ editionibus quibus hactenus Eccleſia uſa eſt, novis editionibus, ut certioribus ac fidelioribus utendum;* ſive ut fert Salmeron (*b*): Hæretici illius temporis contendebant falſitatis aut aperti mendacii convincere veterem Latinam editionem, ut confeſtim opponerent: *veterem Eccleſiam quæ ſine veris & ſinceris Scripturis fuit, Eccleſiam Dei veram minime fuiſſe, & a ſeipſis, & ſua ætate qui veras Scripturæ interpretationes ſe habere jactitant, veram Dei Eccleſiam ortam fuiſſe;* atqui ſi Concilium vi decreti Vulgatam veterem non antetuliſſet fontibus, tunc nullum penitus remedium adhibuiſſet pro extirpatione hujus hæreſis: quandoquidem ſicut ex ſuppoſitione, quod Vulgata non fuerit vi Tridentini decreti prælata fontibus, infertur, Eccleſiam Chriſti aduſque tempora illorum Hæreticorum nuſpiam habuiſſe veras Scripturas, ſicque veram Eccleſiam non fuiſſe; ita tenendo quod Concilium vi decreti Vulgatam prætulerit fontibus, conſequens eſt, *Eccleſiam ſemper habuiſſe veras Scripturas, atque ita ſemper veram Chriſti Eccleſiam fuiſſe.* Utramque partem pro novitiis latius expendam: quoad primam, ſuppoſito enim quod vi Tridentini decreti Vulgata non fuerit prælata fontibus; conſectarium eſt, in omnibus locis in quibus Vulgata diſcrepat ab hodiernis fontibus, fontes eſſe ſinceros, Vulgatam vero vitioſam; quid enim ſigni-

(a) *Lib.* VIII. *Biblioth. S. Hæreſi* XIII. *tom.* II. *p.* 1099.
(b) *Proleg.* III. *p.* 24. *col.* 2.

gnificat Vulgatam non præferri fontibus, niſi quod ipſius auctoritas dependeat a fontibus, & quod iis tantum in locis habenda ſit pro ſincera in quibus congruit cum fontibus; in quibus vero diſcordat non fontes, ſed ipſam habendam eſſe pro vitioſa? Quum itaque pene innumerabilia ſint Scripturarum loca, in quibus Vulgata & fontes hodierni inter ſe colliduntur, plane juxta datam hypotheſim Vulgata de mente ipſius Concilii Tridentini innumerabilibus ferme vitiis referta eſſet; quumque tandem compertum ſit, Eccleſiam Chriſti ab exordio uſque hodie nuſpiam habuiſſe uſum Hebræi Textus, & Eccleſiam Latinam neque Hebræi neque Græci, quis adeo hebes qui non concluderet cum præfatis Hæreticis, quod ſicut Eccleſia aduſque ea tempora veram Scripturam non habuit, ita vera Dei Eccleſia non fuerit? Quoad ſecundam partem eodem pacto diſcurre: quum Vulgata vetus vi Tridentini decreti prælata fuerit non tantum Latinis editionibus, ſed ipſis quoque fontibus, profecto radicitus excidit allegata hæreſis; quoniam ſicut in locis in quibus Vulgata diſcrepat a fontibus, Concilium Vulgatam agnovit pro ſincera & canonica, fontes vero pro vitioſis; ita infertur quod Eccleſia Latina, quæ ab initio perpetuoque ſeculorum uſu Vulgatam conſecravit, veram ſemper habuit Scripturam, & per conſequens notis veræ Eccleſiæ ſemper inſignita.

536. *Dices*. Patres Tridentini conceptis verbis explicant in ſecundo decreto, idcirco declaraſſe Vulgatam authenticam, ut nimirum ex tot Latinis editionibus qui tunc circumferebantur, innoteſceret, quænam habenda foret pro authentica; ergo in Tridentinos minime inceſſit ſtudium coercendi præfatam Hæreſim: & maxime quod hujuſmodi ſtudium neque Sixtus Senenſis neque Salmeron tradunt, Tridentinos fuiſſe ſubodoratos. *Præterea*, minime inferendum eſt, Eccleſiam veterem caruiſſe veris ſinceriſque Scripturis ex quo Vulgata vetus, qua uſa eſt Latina Eccleſia, fit vitiis obnoxia ob idque a Concilio poſtpoſita fontibus; ſicut

ſicuti, licet ante Hieronymianam verſionem nullus eſſet Latinus codex, qui ab omnibus mendis eſſet *immunis*, non inde infertur Eccleſiam Latinam tum temporis caruiſſe ſinceris Scripturis; quandoquidem ut Eccleſia cenſeatur veras Scripturas habuiſſe minime requiritur, ut in uno duntaxat codice habuerit, ſed ſufficit ſi integritas Scripturarum nuſpiam abfuerit ab ipſa omnium Biblicorum codicum univerſitate, ut ipſe faſſus es num. 99. & 121.; & hac quidem de cauſſa gregales eorundem Hæreticorum gracilem hanc conſecutionem excogitatam neque adoptarunt, neque in memoriam revocant: immo Riccardus Simonius obſervat, varietatem lectionum & vocum conſentire ingenio Eccleſiæ, ut quæ in Miſſalibus aliiſque Eccleſiaſticis libris retinet quaſdam lectiones & voces, quæ aliter habentur in Vulgata, ſicut & in martyrologio amplectitur in vigilia Nativitatis Domini chronologiam juxta verſionem Italam ſive ſecundum LXX., non autem ut habetur in Hebræo & in vulgata Hieronymi, ſive Clementina.

537. *Contra*. Ratio qua Concilium authenticam declaravit Vulgatam veterem *ut innoteſceret &c.*, non removet a PP. Tridentinis ſtudium confutandi allegatam Hæreſim; quemadmodum licet ex verbis Concilii eruatur, Vulgatam veterem ideo probatam fuiſſe, quia in ipſa Eccleſiæ longo ſeculorum uſu conſecrata fuerat, hoc non impedit quo minus Patres fuerint ab illis pariter momentis excitati, quæ num. 482. protulimus. *Item*, Recentiores innumerabiles pene interpretationes eidem attribuunt decreto, non obſtante quod directe adverſentur verbis ejuſdem decreti, necnon duarum præfationum Bibliorum Sixti V. & Clementis VIII., ut ex dictis & dicendis quiſque ſtudioſus non ignorabit; itaque ſi ex modo depromptis auctoritas Vulgatæ tantam habet indiſpenſabilem connexionem cum præfata Hæreſi, ut ipſa antelata fontibus Hæreſis evaneſcat, & ipſa poſtpoſita magnum Hæreſi pondus accedat, quo potiori jure non erit ſentiendum & pro certo adoptandum,

dum, idcirco Tridentinos prætuliſſe Vulgatam hodiernis fontibus, ut quoque ſubortum monſtrum ſtatim interimerent? *Item*, Sixtus Senenſis iis unice rationibus, quæ concludunt Vulgatam præferendam fontibus, quæque ex num. 531. intellexiſti, allegata Hæreſi confutata immediate ſubdit: *Proinde hoc animadvertens ſacroſancta Tridentina Synodus, recte in Seſſione quarta, decreto ſecundo ſancivit, ut ex omnibus Latinis editionibus quæ circumferuntur ſola vetus & Vulgata editio . . . pro authentica habeatur*: idem itaque Sixtus, quoad præſens momentum facem nobis prætulit.

Ad ſecundum. Idcirco per adverſarios fontes præferendi ſunt Vulgatæ, quia tenent, veras ſinceraſque Scripturas contineri in hodiernis fontibus, non autem in Vulgata veteri niſi in quantum cum eiſdem fideliſſime congruat; adeout diſcordantibus ad invicem, non fontes, ſed Vulgata habenda ſit pro vitioſa: porro hujuſmodi falſo principio nixi, Vulgatam tot vitiis refertam traducunt in ſuis annotationibus & tractatibus, ut nullam paginam nullumque continuum ferme verſum in ipſa agnoſcant non aliquo errore fœdatum; taliter quod ſi ipſis fidem adhibuerimus, Vulgata de veris diviniſque Scripturis neque quartam partem complectatur. Quod ſi vero res ita ſe habet, quomodo ex præferentia fontium non rite inferetur, Eccleſiam, quæ unice & ſemper Vulgata uſa eſt, divinis ſinceriſque Scripturis caruiſſe? major pars trahit ad ſe minorem, ſicque ſi *juxta hypotheſim* Criticorum maxima Vulgatæ pars vitioſis Scripturis ſcatet, plane Eccleſia vitioſa Scriptura uſa erit, uti argumentabantur ſupradicti Hæretici. *Veniam ad paritatem*, utique Eccleſia Latina ante Hieronymianam verſionem habuit veras integraſque Scripturas non in uno codice, ſed in ipſa generali codicum univerſitate; ſed non eo ſenſu quo ab adverſariis perperam ſupponitur, alioquin etiam tunc temporis Eccleſia veris Scripturis caruiſſet. Idcirco dicimus, ante Hieronymianam verſionem Eccleſiam Latinam habuiſſe veras Scripturas, quia Itala, utpote Textus

xtus Originarius ejuſdem Eccleſiæ, veras ſinceraſque Scripturas complectebatur, & iis tantummodo *locis* erat vitioſa, in quibus diſcordabat a fontibus illius temporis, non quidem indiſcriminatim & ubicumque, ut lubet Criticis, ſed duntaxat ubi limpide fluebant, & inſuper hujuſmodi ſincera loca fontium in Itala videbantur alium ſenſum redolere, ſicuti oſtendimus num. 125. & ſeqq.; proindeque ſicut mendæ, quæ irrepſerant in Italam, vix ad minimam partem totius ſacri codicis redigebantur, ita Eccleſia, quæ Itala utebatur, recte cenſetur veras Scripturas eo tempore habuiſſe; quoniam ſi major pars trahit ad ſe minorem, a fortiori maxima ad ſe minimam trahet. Quum vero opponitur, propter præfatas mendas Eccleſiam tunc habuiſſe integritatem Scripturarum non in uno, ſed in ipſa generali codicum univerſitate, hoc incitamento potius eſt, ut validius ipſos Criticos perſtringamus: ſi enim illa pauca loca, in quibus Itala diſcordabat ab Autographis, fuerunt cauſa, ut Eccleſia non in ſola Itala, ſed in ipſa generali codicum univerſitate haberet ſinceras integraſque Scripturas, quid dicendum erit ſi adhærebimus Recentioribus aſſerentibus, Vulgatam hodiernam tot in locis vitiis abundare in quot diſcrepat non quidem ab Autographis, neque ab illis codicibus fontium, qui circumferebantur Hieronymiano tempore, ſed ab hodiernis longe amplius injuria temporum, ſcribarum oſcitantia, & etiam Judæorum & Hæreticorum malitia conſtupratis, conſpurcatis, mirum in modum corruptis? quomodo non inferemus, Vulgatam hodiernam neque quartam partem ſanctarum Scripturarum complecti, ſicque Eccleſiam Latinam vere ſanctis Scripturis caruiſſe, & etiamnum carere?

538. *Ad probationem paritatis*. In primis obſerves velim, quomodo Adverſarii hoc in rerum themate contrariis ventis inconſiderate ſeſe donant. Neminem latet, quanti ipſi faciant germanitatem ſingularum lectionum & verborum SS. Scripturarum, quantumque ſtuduerint & ſtudeant

eiſdem ſeligendis & ſtabiliendis. Non enim alio ſcopo ſe ſe dediſſe & incubuiſſe jactitant Regulis ſacræ critices, niſi ut vitaretur ea Scripturarum confuſio, quæ oritur ex variantibus lectionibus veterum codicum, & earundem unice præſidio ſtabiliretur vera genuinaque lectio, ſive vox a Spiritu Sancto profecta: eo inſuper hoc ſuper negotio progreſſi ſunt, ut pro ſtabilienda germanitate quarundam lectionum ſive vocum, etiam ſecundum eorundem ſyſtema minime pertinentium ad fidem aut mores, paſſim excitent inter ſe ebullientes tricas, moroſaque dubia, anxietates, jurgia, contentiones (*a*); at vide quomodo in præſentiarum ad oppoſitum extremum turpiter tranſeunt, nihil penitus de Scripturarum lectionibus verbiſque etiam gravioris momenti curam habentes: afferunt, quod ut Eccleſia cenſeatur veras Scripturas habuiſſe & habere, ſufficit, ſi eaſdem habeat in ipſa omnium codicum univerſitate; ulterius, prætoria auctoritate ſtatuunt, ſinceritatem & integritatem Scripturarum reperiri non tantum in fontibus, ſed in omnibus verſionibus (licet alibi id denegent); integram manere jactant Scripturæ auctoritatem in eiſdem omnibus Bibliorum codicibus Judæorum Hæreticorum & Catholicorum, non obſtante quod variis lectionibus ad invicem compugnent; quare addunt, varietatem lectionum nihil penitus fidei ſubſtantiam lædere, ex omnibus variantibus lectionibus nec unam eſſe unde vel Orthodoxæ fidei vel pietati ullum detrimentum inferri poſſit, in iis tan-

(a) *Sic ſuper hunc locum Geneſeos* XXVI. *v.* 24. Aquas calidas, *quæ voces nullimode per eoſdem adverſarios fidem cernunt aut mores: multi cum Pellicano contendunt ſubſtituendam ipſammet Hebræam* jamim, *tanquam nondum intellectam; Munſterus, Caſtalio, Vatablus, Clarius, Grotius, quos ſequitur Natalis ab Alexandro, reddunt*, mulos; *Santes Pagninus* aquarum congregationes; *aliique multi, quos inter Calvinus ejuſque gregales*, Onagros; *alii*, Symin; *quidam*, equas calidas; *Paraphraſtes chaldæus, Gigantes, tanti ergo adverſarii interdum faciunt quaſdam Vulgatæ voculas, & gravisſime de earundem genuinitate cauſſantur, ut ipſam Maſoretharum aliorumque circumciſorum ſuperſtitioſam criticam ſuperent.*

tandem quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt & ad fidem moreſque ſpectant, omnia Bibliorum volumina pura eſſe genuina & integra. Jam vero ex hiſce contrariis principiis clare adparet, nec ipſos Adverſarios conſtanter tenere, quod ad Eccleſiam ſufficiat integritas Scripturarum in omnibus codicibus diſperſa: ſi enim variantes lectiones nihil penitus ſubſtantiam fidei læderent, ſi ex omnibus variantibus lectionibus nec una eſſet unde vel minimum detrimenti inferri poſſit circa fidem & pietatem, incaſſum plane tot regulas critices ſibi digeſſerunt ad ſtabiliendam genuinam Spiritus S. lectionem, incaſſum tot craſſos codices annotationum ediderunt ad hoc ut illuceſceret lectio correctior & magis exacta, incaſſum tot dubia excitarunt ut adcuratius & penſiculatius genuinitatem alicujus vocis definirent: ſi de varietate lectionum & verborum non eſt curandum, ut quid tot Vulgatæ lectiones & verba taxant? ut quid criminantur Patres Tridentinos, quia authenticum declararunt veterem Textum Latinum? ut quid conqueruntur de Romanis Correctoribus propter cuſtodiam quarundam lectionum & vocum veteris Interpretis, quæ ipſis non placent (*a*)? ut quid tandem enixis votis tam privatis quam publicis poſtulant, & exoptant, ut Eccleſia ablegato Clementino exemplari novum Bibliorum perfectius exemplar condere faciat, atque proponat fidelibus utendum (*b*)? annon iſta manifeſtiſſima indicia ſunt, quibus ipſimet Adverſarii oſtendunt probe deprehendere & agnoſcere, *quanti interſit Eccleſiæ* Dei habere integerrimas Scripturas in codicibus ejuſdem penitus exemplaris Latini, cujus ſinguli codices non tantum complectantur ſenſus Spiritus S., ſed ejuſdem quoque ſingula verba, quæ nimirum primus Interpres vel Interpretes Latini, ſicut & S. Hieronymus peculiari Spiritus S. flatu in ſuis codicibus

(a) *Ut innuimus num.* 466. *de* τὸ Firmamentum, *& de voce* Ipſa *paragrapho octavo ſuperior. Cap.*

(b) *Huc etiam referre poteris quæ exponentur num.* 574.

bus consignarunt ? Adversarii itaque non veritatis studio reponunt, sat esse Ecclesiæ habere Scripturas in universitate codicum, & variantes lectiones nihil integritudini Scripturarum, & utilitati Ecclesiæ obesse; bene vero huc confugiunt, ut mediantibus hisce decipulis nostra argumenta eludant, ut quoque suadeant neque in codicibus Clementinis sinceram integramque Scripturam contineri, & tandem præsto eisdem sit subterfugium & velamentum, quo impune valeant sæpe detrahere Vulgatæ Clementis, sive veteri, nec non ab eadem licenter declinare. Quid tum? Quum præfatam stropham non alio momento suadeant, nisi eo præjudicio quo putant, Ecclesiam Latinam nuspiam habuisse veras integrasque Scripturas in illis solis codicibus Latinis quibus usa est, ideo

539. *Nota*, quod Romana Ecclesia tametsi a primo usque hodie integerrimas Scripturas etiam quoad minimum apiculum constanter habuerit, non tamen semper eodem modo. *Ab initio* habuit apud Autographos latinos quos ediderunt aliqui Apostolorum aut Apostolorum discipuli, adeout in hypothesi quod fuissent omnes codices fontium & versionis viralis tunc deperditi, adhuc nihil penitus Ecclesiæ defuisset de sincero & integro Scripturarum codice; quod si quis id denegabit, opus est asserat divinam providentiam majoris benevolentiæ testimonio prosecutam fuisse Synagogam Judæorum quam postea deseruit, & Ecclesiam Græcam, quæ tot turpissimis hæresibus & schismatibus maxima ex parte defecit, quam Ecclesiam Romanam a Deo aliis duabus prælatam, & positam pro columna & firmamento veritatis: hoc enim in casu ubi Hebræi & Græci ditati fuissent Autographis Scripturarum sinceris & integris, filii Romanæ Ecclesiæ nec ab initio hujusmodi privilegio participes effecti, sicque hanc ob caussam Hebræi & Græci merito possent Latinis insultare, & de eisdem crescere; quod quam nos dedeceat, nostrisque turpe & probrosum, viri quique cordati

dati videant (a). *Circa initium secundi seculi*, corruptis omnibus singulisque codicibus Hebraicis & Græcis, eadem depravatio fluxu temporis sensimque in omnes quoque Latinos codices transfusa est, unde contigit, ut sicuti multa divina oracula ab eisdem fuerunt detracta, aut conspurcata, ita Ecclesia Latina neque in aliquo uno Latino codice, neque in solis codicibus Latinis, sed in ipsa tantummodo universitate codicum Hebraicorum, Græcorum, & Latinorum integerrimas Scripturas tunc habuerit; cum hoc tamen quod minima duntaxat pars desiderabatur in codicibus Latinis, ut bene percipi potest ex paucitate locorum, quæ in sua nova versione Hieronymus præsidio Orientalium voluminum aut supplevit, aut expunxit, aut immutavit, quæque relative ad totum Bibliorum codicem vix minimam partem constituebant. *Sub oram quinti seculi*, Hieronymiana versione in lucem edita, & loco veteris Italæ communiter usurpata, denuo Latina Ecclesia obtinuit integerrimas Scripturas in omnibus solis & singulis illis Latinis codicibus, qui exactissime & emendatissime respondebant Hieronymiano Autographo; quo quippe peculiari Dei beneficio potita fuit adusque quartumdecimum seculum. Non denego in Latinos codices, quorum usum Ecclesia illo intermedio tempore habuit, irrepsisse aliqua menda; sed quia tunc non erant qui dubitarent de exacta eruditione D. Hieronymi, aut contenderent Textum Latinum denuo adpendendum ad stateram fontium, & insuper omnes alii codices Latini harmonice confluebant ad detegenda ea menda, quæ in unum vel alium codicem fortuito irrepserant, idcirco ea minime obstiterunt quo minus Ecclesia in solis & singulis Latinis codicibus censeretur habere germanas integrasque Scripturas; ea profecto lege qua hodie Jurisconsulti pro integerrima habent Authenticam Justiniani, non obstante quod singula exemplaria impressa suos nævos habeant, immo potiori jure

(a) *Legesis quoque nuper exposita num.* 526. *ex quibus alia argumenta expiscari poteris.*

re propter communiorem usum Biblicorum codicum, uti notavimus num. 422.; ea pariter lege qua singuli codices Clementini nuper impressi censentur continere integra Biblia Vaticana sub Clemente excusa, non obstante quod in quibusdam minutis ab istis declinent. *Ineunte quintodecimo seculo*, ab iniquissimo humani generis hoste, accenso ardentissimo igne, propter caussam Joannis Reuchlini, inter Theologos & Rhetoricos, necnon vaferrimo Erasmo excitato ad cantandum pro Rhetoricis (a), & suadendum ea dicteria, de quibus num. 430., quæque Lutherani Calvinistæ aliæque portæ inferi cum quibusdam etiam Catholicis desponsarunt, pariter eodem tempore introducta arte typographica in multas Europæ primarias urbes, brevi tempore eo res perducta est, ut Scripturarum germanitas non parvam subierit depravationem apud Latinos codices; itaut si Concilium Tridentinum huic malo non providisset mediante decreto de authentia Vulgatæ & Regulis indicis, quibus taxavit non tantum omnes editiones Latinas ab Hæreticis editas, sed etiam Isidori Clarii & Vatabli, certe integritudo Scripturarum deperdita esset tam apud singulos Latinos codices, quam apud ipsam Latinorum codicum universitatem, eo penitus modo ac Hieronymiano tempore, immo perniciosius propter humana præsidia (codicum nimirum & linguarum orientalium) longe ineptiora iis quæ adusque Hieronymianam ætatem satis viguerunt, quæque Hieronymo valuerunt suppetias ferre. *Tandem prope finem sextidecimi seculi*, restituta per S. Sedem pristino nitori Vulgata veteri, Ecclesia Romana tertio feliciter impetravit in omnibus, solis, & singulis codicibus Clementinis germanas integrasque Scripturas; taliter ut quantum spectat earundem genuinitatem & integritatem, nullimode opus habeat aliis Bibliacis Contextibus Hebraicis, Græcis, aliaque quavis lingua conscriptis. Quo præ-

(a) *Legesis Dominicum Berninum Histor. Hæres. Seculo* XVI. *cap.* II. *Tom.* IV. *p.* 245. *item, quæ obiter proferemus n.* 573.

præfato plane eruis, quid respondendum sit Neotericis gannientibus, nihil obstare si in Vulgata Clementis supersint menda corrigenda, & in eadem sola non contineatur Scripturarum integritas, quum semper in ipsa codicum universitate Ecclesia eam habuerit; vides enim, quod ubi Adversarii per universitatem Biblicorum codicum subintelligunt generatim, & pro omni tempore codices tam Latinos, quam Hebraicos, Samaritanos, Græcos, Syros &c., e contra bene intellexisti, eo tempore excepto quo ante Hieronymum varietas codicum abundabat, cæterum tam ante quam postea usque hodie, semper apud solos Latinos codices Romana Ecclesia integerrimas Scripturas habuit. *Addas*, ubi Adversarii loquentes de Ecclesia nondum utente Hieronymiana Versione, supponunt, eam habuisse integritatem Scripturarum potissimum & maxima ex parte apud codices fontium, bene novisti, hoc nec esse verum, nec tanquam verum defendi posse; & per consequens quidquid in præsidium suæ hypothesis Adversarii eruunt ex præfata cantilena, totum, utpote mendaciis subnixum, falsum, fictitium, commentitium.

540. *Ad postremam partem instantiæ*. Si nonnulli recentes Hæretici ex præferentia fontium non inferunt cum suis antesignanis, Ecclesiam veterem caruisse veris Scripturis & notis Ecclesiæ Dei, verisimile est id feciisse, ne hujusmodi pravitatis monstro terrerent Criticos Catholicos ab adoptando suo systemate, quo fontes Vulgatæ præferunt: cæterum sicut suorum Auctorum perfida opinio fuit reiicere veteres editiones, & loco earum novas obtrudere, sub velamento quod fideliores essent & certiores, hoc ipsissimum tuentur hodierni Critici; quandoquidem, ut cuique innotescit, isti quoque colore ditandi Ecclesiam exactioribus Scripturis passim optant monentque, editionem Clementinam, quæ est ipsa Vulgata vetus, posthabendam, novamque a linguarum peritis elucubrandam, & ad usum publicum deducendam: ita Waltonus, cujus votis consentiunt Riccardus Simonius, Nata-

lis ab Alexandro, Jacobus Le Long, plerique alii de noviſſimis Scriptoribus. *Quod ſpectat obſervationem Riccardi*, nuſpiam Eccleſia ſomniata eſt patrocinari varietati lectionum, quinimmo eidem vitandæ & diſperdendæ diligenter occurrit, tum mediante decreto Concilii Tridentini, quo inter omnes Bibliacos Textus & Contextus ſolam Vulgatam pronuntiavit authenticam, tum mediante editione Vulgatæ correctæ, cui ex præcepto S. Sedis omnes fideles adhærere tenentur, nihil nimirum de ea immutando addendo, vel detrahendo (*a*). Quod ſi autem Eccleſia retinet in Miſſalibus, in Martyrologio, aliiſque libris eccleſiaſticis quaſdam lectiones Vulgatæ veteris, unice ut oſtenderet magnam rationem quam habet venerandæ antiquitatis, ſive veteris Eccleſiæ Latinæ, quæ interdum illis lectionibus & vocibus uſa eſt: quare Marius Alterius Theologus & Canonicus Baſilicæ Vaticanæ exponens, cur Baſilica Vaticana utatur pſalterio veteris Italæ, & non illud quod a Hieronymo fuit emendatum, ab univerſa Eccleſia receptum, & in Vulgata continetur, *ob magni* fert (*a*) *certe faciendam antiquitatis auctoritatem*. Cæterum vel ſi alia abeſſent, ecquis non deprehendet conſilium Eccleſiæ quam longiſſime diſtare a ſtudio Criticorum? illa retinet eas duntaxat variantes lectiones & voces quibus vetus Eccleſia uſa fuit, Critici proferunt in medium lectiones & voces quas nuſpiam Latina Eccleſia uſurpavit: Eccleſia variantibus lectionibus & vocibus quas retinet, nihil penitus auctoritatis tribuit in detrimentum Vulgatæ Hieronymianæ ſive Clementinæ, Critici eo fine variantes lectiones pronuntiant, ut validius Vulgatæ detrahant: Eccleſia cuſtodit quaſdam variantes lectiones ut teſtimonio veteris Eccleſiæ confirmet auctoritatem ſuam, Critici obiiciunt variantes lectiones fontium

(a) *Alias his conducentia habes num.* 383. *& ſeqq.*
(b) *Apud monitum præfixum Breviario Romano ad uſum Cleri Baſilicæ Vatic. edit. Romæ an.* 1673.

tium aliorumque Contextuum, ut infirment Textum Latinum quo uſa eſt tam vetus, quam hodierna Eccleſia (*a*). Simonius itaque perperam interpretatur ingenium Eccleſiæ ſuffragantis nonnullis variantibus lectionibus (*b*).

541. *Obiicies I.* cum Waltono (*c*). *Conſtans hæc erat veteris Eccleſiæ ſententia. Auguſt. Lib.* 15. *de Civit. c.* 13. *hæc habet.* Quum diverſum aliquid in utriſque codicibus invenitur, quandoquidem ad fidem rerum geſtarum utrumque eſſe non poteſt verum, ei linguæ potius credendum, unde eſt in aliam per Interpretes facta translatio. *Hieron. Epiſt. ad Suniam & Fretellam ſic ſcribit*, Sicut in N. Teſt., ſi quando apud Latinos quæſtio exorta eſt, & inter exemplaria varietas, recurrimus ad fontem Græci ſermonis, quo novum ſcriptum eſt Inſtrumentum: ita in Vet. Teſtamento, ſi quando inter Græcos Latinoſque varietas eſt, ad Hebraicam recurrimus veritatem; ut quicquid de fonte proficiſcitur, hoc quæramus in rivulis. *Iterum in Epiſt. ad Lucinium*. Ut veterum Librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda eſt; ita novorum veritas Græci ſermonis normam deſiderat. *His addendus Ambroſius Lib.* 2. *de Spiritu S. c.* 6., Si quis de Latinorum codicum varietate contendit, quorum aliquos perfidi falſaverunt Græcos inſpiciat codices. *Ex his ſatis conſtat, quantum veteres fontes prætulerint verſionibus; iis vero, qui verſiones præferunt dico cum eodem Hieron. Epiſt.* 102. *ad Marcellam*, quibus diſplicet fontis unda puriſſima cœnoſos rivulos bibant. Hactenus Waltonus.

542. *Reſp. I.* Quam inepte Novatores ex præfatis ſententiis PP. eruerint, hodiernos fontes fore Vulgatæ præferendos, jamdudum demonſtrarunt noſtrates, quos inter doctiſ-

(a) *Legeſis num.* 647. 668.
(b) *Ex num.* 482. *eruere poteris alia momenta, quibus adſtringi poſſunt Catholici ad confitendum hodiernos fontes vi Tridentini decreti neque præferendos neque cœquandos Vulgatæ.*
(c) *Prolegom.* VII. §. 20. *p.* 285. *col.* 2.

ctiſſimus Salmeron, qui hiſce verbis rem expendit (*a*): *Obiici poſſet ex Hieronymi Epiſt. ad Lucinium: Ut veterum &c., & Auguſtinus diſerte affirmat Latinis quibuslibet Græcos adhibendos, eorumque, ſi fuerit neceſſe, auctoritate emendandos, tum in veteri, tum in novo Teſtamento. Reſpondemus, quod ut illo ſeculo id erat neceſſarium facere, ubi opus erat . . . quia erant varii lectionis Latinæ codices, ut ita inveniretur lectio caſtigatiſſima; ita jam, ubi una tantum Latina eſt translatio, quæ tot ſeculis per omnes Occidentis obtinet Eccleſias, non eſt neceſſarium facere.* Et ſane, quæſtio nobis non eſt de re aliqua, quæ nullimode pro temporum varietate mutationem ſubeat, ut ex. gr. utrum Deus ſit unus in eſſentia Trinuſque in Perſonis? utrum velit omnes homines ſalvos fieri? utrum Chriſtus ſit verus Dei Filius? utrum B. Virgo ſit Dei Genitrix? & conſimilia; ſed agimus de auctoritate fontium relative ad Textum Latinum, quæ quidem, ut neminem latet, nonniſi ex integritate & ſinceritate eorundem penſanda venit: porro integritas tam fontium quam Textus Latini aliter profecto ſe habuit temporibus Hieronymi Ambroſii & Auguſtini, aliter hodie; tunc temporis fontes licet in multis corrupti, non ita tamen depravati uti hodie habentur (*b*), & e contra codices Latini Textus, ubi tunc tanta varietate compugnabant ut viderentur tot eſſe exemplaria quot codices, modo dicere poſſumus, Autographum Latinum, quem primitus ediderunt aliqui Apoſtoli, aut Apoſtolorum diſcipuli, & poſtea D. Hieronymus priſtino candori reſtituit, tanquam in ſpeculo nos habere peculiari Dei beneficio & S. Sedis vi-

(a) *Prolegom.* IV. *in fine p.* 41. *col.* 2.

(b) *Memento quæ diximus num.* 70. *&* 455. *de diſcrepantia hodierni Hebræi ab eo quo Hieronymus uſus eſt; ſicut & Græci Textus hodierni non tantum in multis conſtuprati a Roberto Stephano, ut innuimus n.* 409., *ſed inſuper ubique variantis apud codices tam manuſcriptos quam impreſſos; addita quoque imperititia quæ hodie habetur illius Hebraicæ & Græcæ, quibus ſacri Textus conſcripti fuere a SS. Prophetis & Apoſtolis, ut in n.* 43[2].

vigilantia apud omnes ſinguloſque Clementinos codices; & conſequenter ſi codices tam fontium quam Latinæ verſionis longe aliter ſe habent hodie atque temporibus Auguſtini, quis non deprehendet præfatas veterum ſententias, quæ illo ſeculo rite ſubſiſtebant, modo neque currere, neque ad uſum deducendas: quemadmodum licet circumciſio ex. gr. ante adventum Salvatoris erat Hebræis medium neceſſarium ad ſalutem, poſt tamen Evangelii promulgationem evaſit fruſtranea immo lethifera; ita licet tempore, quo Latini codices ita variabant ut aliquibus in locis nihil certi verique poſſet ex ipſis erui, neceſſarium eſſet recurrere ad fontes, hac noſtra ætate quum in Clementinis codicibus habeamus eam exactiſſimam Latinam verſionem, quam Hieronymus concinnavit, codices fontium ſint longe amplius corrupti atque olim, & tandem minime Recentioribus affulgeat ea linguarum peritia quæ neceſſaria foret, plane recurſus ad hodiernos fontes non modo non eſt neceſſarius, ſed inſuper vanus & illicitus, ſicut & præfatæ PP. ſententiæ ad rem *hodie non faciunt*. Et vero, Eccleſia ſtatim ac adoptavit Hieronymianam verſionem penitus prætermiſit recurſum ad fontes, eaque ſola per multa ſuccedentia ſecula contenta fuit, ut ſequenti Demonſtratione enucleabimus; ergo multo magis hodie non indigemus fontibus, tum quia multo pluribus corruptelis ſcatent, tum quia deperdita eſt ea peritia linguarum quæ opus eſſet, & aliunde eadem penitus perfectiſſima *Latina editione nunc fruimur*. Ut autem res iſta ab ambagibus Neotericorum quibus affuſa eſt penitius vindicetur, & redimatur.

543. *Reſpondeo II.* Veteres PP. laudatis, aliiſque conſimilibus ſententiis commendarunt recurſum ad fontes, quoad effectum intelligendi clarius Textum Latinum eſto, quoad effectum emendandi eundem ſubdiſtinguo, generatim & quoad omnia loca in quibus Latinus diſcordabat a fontibus denegatur, quoad ea ſolummodo in quibus conſtabat omnes Latinos codices turbide fluere iterum diſtinguo, & hoc expediens

diens fuit eo tempore concedo, etiam hodie tametsi limpide fluant inficiamur. Itaque Patres interdum commendarunt inspectionem fontium, ut facilius clariusque innotesceret aliquis locus Latini Textus; ita SS. Ephrem & Hieronymus ex inspectione Hebræi, hanc vocem Vulgatæ *ferebatur*, assumpserunt etiam ad significandum *incubabat*, *fovebat*, ut diximus num. 345.; & Augustinus præsidio Græci intellexit quid significet illud *os* positum psalm. 138. v. 15., de quo num. 495. Interdum commendarunt recursum ad fontes quoad effectum etiam emendandi Textum Latinum, ut manifeste colligitur tum ex allegatis sententiis PP., tum ex facto Hieronymi, qui multoties adiumento fontium Italam editionem castigavit. Quod vero nemo veterum optarit vel monuerit, ut Latinus Textus generatim & quoad omnia emendaretur ad normam fontium constat ex eodem Hieronymo, qui permulta loca Italæ retinuit in sua nova versione, non obstante quod non haberentur in fontibus (*a*), & ex Ecclesia veteri, quæ adoptavit & consecravit Hieronymianam, tametsi in multis a fontibus dissonaret. Si enim sententia veteris Ecclesiæ fuisset, quod Latinus Textus generatim & quoad omnia emendaretur ad normam illorum fontium, sive, quod fontes illius temporis præferrentur in omnibus versioni Latinæ, tunc neque Hieronymus a fontibus uspiam discessisset, neque Ecclesia Hieronymi versionem adoptasset. Neque tandem *factum*, quo Ecclesia Hieronymiano tempore permisit, & voluit, Latinos codices aliquibus in locis emendari ad normam fontium, debet Criticis exemplo esse, quatenus ipsis quoque conveniat eidem negotio hodie incumbere; quoniam, ut non semel notavimus, dispar est ratio: tunc temporis codices fontium licet corrupti, erant tamen melioris notæ, linguarum peritia exactior, & Latini codices magis variabant; modo fontes longe amplius depravati, notitia linguarum magis imperfecta, & Latini codices pristino candori restituti; & consequenter satis claret, quam inepte, quam frigide Waltonus relate ad hæc nostra tempora usurparit verba Hieronymi ad Marcellam.

(a) *Vid. num.* 61. *& seqq.* 126. *& seqq.* 163. *& seqq.*

644. *Instabis*. Magnus Aurelius Cassiodorus licet floruerit circa dimidium sexti seculi, quando nimirum Occidentalis Ecclesia, ad suam voluntatem, in privatis publicisque lectionibus consecrabat Hieronymianam versionem, adhuc monuit, quod si in eadem reperirentur verba absurde posita, intrepide corrigerentur ad normam fontium. *Quod*, inquit (*a*), *si alia verba reperiuntur absurde posita, aut ex his lectionibus quas B. Hieronymus in editione septuaginta Interpretum emendavit; vel quos ipse ex Hebræo transtulit, intrepide corrigenda sunt: aut sicut B. Augustinus ait, recurratur ad Græcum Pandecten, qui omnem legem divinam dignoscitur continere collectam, vel quibus possibile fuerit, Hebræam Scripturam, vel ejus Doctores requirere non detractent. Docet enim, ut unde ad nos venit salutaris translatio inde iterum redeat decora correctio. Merito enim Patribus nostris de hac re maxima cura fuit, ne tunica Domini, quam truculentis militibus scindere non licuit, lectoribus subiaceat imperitis.* Hactenus Cassiodorus, quibus liquet, superlaudatas sententias veterum de recursu ad fontes & de eorundem præferentia, æque ante Hieronymianam versionem ac postea habuisse locum; sicque etiam hodie juxta monitum veterum expedit, ut Vulgata Clementis etiam si ipsam Hieronymianam repræsentet, postponamus fontibus, & istorum adiumento eandem corrigamus.

545. *Respond.* Allegatum testimonium cum nonnullis aliis, quæ continentur apud Citatum Caput XV. non levi indicio sunt, ut dicamus eadem fuisse interpolata, vel a primo editore Cassiodori criticorum præjudiciis abrepto, vel ab ipso Cassiodoro minus adcurate dicta. Namque, ut cui-

(a) *Lib.* 1. *divinar. Lectionum Cap.* XV.

cuique evolventi præfationem & integrum Librum primum Divin. Lection. patet, Caſſiodorum tam bene ſenſiſſe de eruditione & verſione Hieronymi, ut fuiſſe videatur prædicator eximius : tradit quod Hieronymus ab Oriente inſtar ſolis, Eccleſiæ occidentali face eloquii ſui illuxerit, quod tantum cæteris Scripturarum interpretibus præſtiterit, ut poſt ipſum non amplius eſſet opus accedere ad Hebræum fontem (*a*), quod nonniſi auctoritate divina ſuam novam Verſionem colis & commatibus ordinarat (*b*), quod ſola Hieronymi diligenti cura Latinus Textus multorum tranſlatione variatus, fuerat emendatus, compoſitus, & Eccleſiæ traditus (*c*); *item*, conſequenter ad iſta poſt pauca ſubdit: *Reſtat nunc ut dicere feſtinemus quemadmodum Scripturis divinis Librariorum vitia corrigere debeamus*. Non enim ſpopondit ſe acturum de corrigendis vitiis Hieronymi, ſed Librariorum, qui nimirum non exacte tranſcripſerant Hieronymianum exemplar; & inter alias regulas, quas ad hunc finem conſignat capite quintodecimo præcipua videtur, haud tangenda & præcipitanter emendanda idiomata legis divinæ, ſive proprias locutiones, quas communis uſus non habere cognoſcitur, aut ea Hebræa nomina hominum vel locorum, quæ poſita ſunt ut ſervetur in eis linguæ ſuæ decora ſinceritas, aut quædam verba quæ videntur contra artem humanam, aut tandem caſus generaque nominum vel temporum humanis regulis non convenientia, quæque non ſine magno Sacramento appoſita ſunt; ſed ubi pendens emergat dubietas, eadem inquirenda apud auctoritatem *duorum*, inquit (*d*), *vel trium priſcorum emendatorumque codicum* (latinorum) . . . *ſcriptum eſt enim: in ore duorum vel trium ſtabit omne verbum, & præſumi non liceat quod divino vindicatur eloquio*. Quæ quidem vera rectaque principia

(a) *Ita Lib.* I. *cit. Cap.* XXI. *p.* 240. *a ter.*
(b) *Loc. cit. cap.* XII. *p.* 234.
(c) *Cap.* XIV. *p.* 234. *a t.*
(d) *Cap.* XV. *p.* 236.

cipia minime congruunt cum teſtimonio ejuſdem Caſſiodori in obiecto expoſito, nimirum, in hypotheſi quod in Hieronymiana editione reperirentur aliqua abſurde poſita, intrepide corrigenda adiumento fontium; quam quidem diſſonantiam facile intelliges non tantum ex noſtro, quam etiam eorundem Criticorum ſyſtemate. Verum enim vero, quum ipſi teneant, Vulgatam Clementinam etiamſi ſit ipſa Vulgata vetus ſive ea quam Hieronymus edidit, examinandam & emendandam ad normam fontium, idcirco pro conſectariis habent, & quod Hieronymus interdum in ſua verſione errarit, & quod ſola humana eruditione eandem adornarit, & quod iſta complectatur non tantum vitia Librariorum; ſed ipſius quoque Hieronymi, quod non ſola inſpectione & collatione veterum codicum Latinorum, ſed quoque fontium perpolienda ſit, quod in eandem pariter ſubſtituendæ ſint tum locutiones ad noſtrum uſum aptiores, tum Hebræa nomina hominum & locorum ad normam hodiernæ Grammatices Hebraicæ, tum verba quæ noſtris Rhetoricis apprime quadrant, tum tandem caſus & genera nominum vel temporum hodiernis humanis regulis conſona; ergo quum Caſſiodorus tradat conſectaria oppoſita, profecto aut minus adcurate allegatum in argumento teſtimonium deſcripſit, aut, quod facilius crediderim, primus editor Caſſiodorum falſavit; eo ferme pacto, quo ab eiſdem Criticis parile facinus patratum eſt apud codices aliorum veterum (*a*). Dici quoque poteſt, quod ſicut curis Caſſiodori fuit tradere in citato Capite quintodecimo regulas vitiorum corrigendorum in Latinis Bibliis, ita retulerit regulam de caſtigandis erroribus ad normam fontium, non ad finem ejuſdem deducendæ ad uſum, ſed ut morem gereret veteribus PP., qui eam tradiderunt, & non ſine fructu executioni mandarunt. *Tandem*, tranſmiſſo, quod neutiquam concederem, Caſſiodori ætate hanc regulam viguiſſe, neque

(a) *Vide num.* 506. *& ſeqq.*

que id noſtris Criticis poteſt exemplo eſse propter diverſitatem, tam codicum fontium, quam linguarum : eo enim tempore Caſſiodorus ſcripſit, in quo nec Hebraicus Textus contraxerat Maſoretharum figmenta, neque Hebraica lingua fuerat oblivioni tradita (*a*).

Objectum ab auctoritate Theologorum magni nominis petitum.

546. Plerique doctiſſimi viri Eccleſiæ Romanæ, eorum etiam qui Concilio Tridentino interfuerunt, confitentur, nihil contra Textuum Originalium authentiam Patres decreviſſe, neque vulgatam Latinam fontibus prætuliſſe, aut coæquaſſe. Salmeron Proleg. III. *Nihil*, inquit, *de exemplaribus Græcis vel Hebræis agebatur : tantum inter tot editiones Latinas quot ſecula noſtra parturierant, quænam ex illis præſtaret, ſermo erat. Liberum autem reliquit omnibus qui Scripturas ſacras profundius meditantur, fontes Græcos, aut Hebræos, quatenus opus ſit, conſulere, quo noſtram vitio Librariorum, aut temporum injuria corruptam, emendare valeant. Licebit itaque nobis ſalva Concilii auctoritate ſive Græci, ſive Hebræi exemplaris lectionem variam producere, eamque ut verum Bibliorum Textum expendere, & enarrare &c.* Andreas Vega *de Juſtificatione Lib. XV. cap. IX.* fert *primo*, quod Tridentina Synodus noluit Vulgatam tanquam de cælo delapſam adorari; *ſecundo*, quod ſciebat illius Interpretem non fuiſſe Prophetam, ac proinde neque cohibere voluit linguarum peritos, qui aliquando docent melius potuiſſe aliqua verti quam ex Vulgata editione habentur; *tertio*, quod Sancta Synodus probavit Vulgatam tantummodo in honorem vetuſtatis, & quia nullum complectebatur pernicioſum errorem, ſubdens, hanc fuiſſe ipſius S. Synodi mentem. *Et*, inquit, *hanc fuiſſe mentem Synodi, nec quippiam amplius ſtatuere voluiſſe, ex verbis ipſis & ex*

(a) *Hiſce addas quæ dicturi ſumus n.* 658.

ex aliis conſuetis approbationibus Concilii potes colligere. Et ne dubites de his, veriſſime tibi poſſum allegare pro his Ampliſſimum & Obſervantiſſimum Dominum Sanctæ Crucis Cardinalem, de pietate, & de litteris, & ſtudioſis omnibus optime meritum, qui illi ſeſſioni & aliis omnibus præfuit, ac pridie quidem quam illud decretum firmaretur, & poſtea non ſemel mihi teſtatus eſt, nihil amplius voluiſſe Patres, firmare. Itaque nec tu, nec quiſpiam alius propter hanc approbationem Vulgatæ editionis impeditur, quominus ubi hæſitaverit, ad Fontes recurrat & in medium proferat quicquid habere potuerit, quo juventur & locupletentur Latini, & Vulgatam editionem ab erroribus repurgent, & quæ ſenſui Sanctorum, & ipſis fontibus ſunt magis conſentanea, aſſequantur.

547. Sixtus Senenſis Lib. VIII. Biblioth. San. diſertiſſime tradit in Vulgata, quam Concilium declaravit Authenticam *inveniri mendas, ſolæciſmos, barbariſmos, hyperbata, & multa parum accommodate verſa, & minus Latine expreſſa, obſcure & ambigue interpretata, itemque nonnulla ſuperaddita, aliqua omiſſa, quædam tranſpoſita, immutata, ac vitio Scriptorum depravata . . . Non tamen ex his ſequitur, Eccleſiam uſque in hanc diem non habuiſſe veram, ſinceram, integram, ac fidelem Novi Teſtam. editionem . . . Temerarium igitur eſt imo plane Hæreticum, propter leves quoſdam defectus, qui in noſtra Vulgata editione citra ullum fidei ac morum detrimentum reperiuntur, eam ſpernere, & abjicere, novaſque & profanas in locum ejus Hæreticorum translationes introducere, præſertim poſt œcumenici Concilii Tridentini decretum.* Ex quibus P. Natalis aliique Recentiores inferunt (*a*) : *Non pugnat igitur contra decretum S. Synodi, qui in Vulgata noſtra leves aliquas mendas ſupereſſe cenſet, quæ fidei, ac diſciplinæ morum doctrinam non ſpectant.*

(a) *Sec. IV. Hiſt. Eccleſ. Diſſert. XL. Art.* III. *p.* 254.

Bel-

Bellarminus de verbo Dei cap. X. obtundens hujuſmodi Calvini mendacium: *Decreviſſe Tridentinos Patres, minime eſſe audiendos eos, qui ex fonte ipſo purum liquorem proferunt, & ex certa veritate falſum coarguunt*, ita reſpondet: *Hoc ideo mendacium voco, quod nihil ejuſmodi in decreto Concilii legatur. Nec enim Patres fontium ullam mentionem fecerunt, ſed ſolum ex tot Latinis verſionibus, quæ nunc circumferuntur unam delegerunt, quam cæteris anteponerent.*

Serarius in Prolegomen. cap. XIX. Quæſt. XII. conceptis verbis rem definit ſcribens: *Non antetulit Hebræis Græciſve fontibus Latinam noſtram verſionem Tridentina Synodus.* Et prætermiſſis aliis longe pluribus Theologis inſignibus, & de Eccleſia Catholica optime meritis agmen claudat Eminentiſs. Cardinalis Pallavicinus, qui Libro VI. Hiſtor. Concil. Trident. cap. XVII. citat & commendat præfatos Theologos atque ſententias, quibus fit evidentiſſimum tanti intereſſe Eccleſiæ Catholicæ tueri de mente Concilii Tridentini, fontes hodiernos eſſe Vulgatæ præferendos, ut qui in oppoſitum pergit, nonniſi temere & non ſine Eccleſiæ Catholicæ detrimento id ſentiat; quoniam pro infirmis venditat ea principia, quibus Pallavicinus Tridentinos vindicavit a dicteriis Sarpianis.

Reſpondetur.

548. Denegari non poteſt, plures inſignes Theologos hoc in rerum themate varia, diverſaque ſcriptitaſſe, ita ut nobis ſuffragentur ſimul & refragentur. Verum ſi unde id contigerit interrogaveris, bona pace & ſine ullius præjudicio dicere auſim; quia licet ipſorum religio fuerit tueri adverſus Hæreticos authentiam Vulgatæ, quam Concilium approbavit; tamen quum pro uſu inducto a Novatoribus ipſi quoque habuerint in deliciis operam dare addiſcendis linguis Orientalibus, & harum præſidio elucubrandis Commentariis & annotationibus litteralibus in Scripturam; non autem, ut par erat & maxime eo tempore neceſſarium, revocare ad exactam criſim hujuſmodi perarduum ſpiſſumque argumentum quod nos tenet, quodque Hæretici & Hebraiſtæ Catholici in immenſum auxerunt, factum eſt, ut ii potiſſimum Theologi non ſatis deprehenderint vera firmiſſimaque principia ſcitu neceſſaria, & haud ſibi conſtiterint, modo declinantes ad dexteram, modo ad ſiniſtram. Si enim bene noviſſent, vel ſi noverunt firmiter tenuiſſent, Textum Latinum datum eſſe Eccleſiæ occidentali loco Scripturæ Originalis, inſpectionem & collationem mutuam vetuſtiſſimorum Latinorum codicum, primo & potiſſimum conferre emendationi Vulgatæ, hodiernos vero fontes & hodiernam linguarum peritiam eſſe media obſcura, ambigua, & ferme inepta: & tandem Concilium Tridentinum duntaxat approbaſſe Vulgatam veterem in ſeipſa, non autem mendis refertam, ſi inquam ad hæc ſaltem tria ſedulo attendiſſent, plane a primo Hæreticorum ora obſtruxiſſent, in vitium inconſtantiæ minime impegiſſent, & nobis pleniſſimo eſſent ſuffragio. Id tamen quatenus opus ſit velim accipias, qua quidem lege.

549. *Ad Salmeronem. Nihil de exemplaribus Græcis vel Hebræis* ſed *de Latinis tunc agebatur* diſtinguo, ſi ſpectemus nuda decreti verba, eſto, ſi motiva & cauſſas unde Patres Tridentini excitati fuere ad conficiendum decretum illud, denegatur. Quamquam *ſpectatis verbis decreti nulla penitus mentio fontium habeatur, ſed ſermo* fiat de ſolis Latinis editionibus, quibus Vulgata expreſſe præfertur; at ſi nobis curæ fuerit introſpicere cauſſas, quibus S. Synodus decretum illud confecit, adeo perſpicuum eſt diſerte egiſſe de exemplaribus Græcis & Hebraicis tam abſolute conſideratis quam cum reſpectu ad Vulgatam Latinam, ut nemo hactenus fuerit auſus inficiari, neque uſpiam in futurum rationis compos inficiari valebit. Namque idem Salmeron immediate ad præfata verba ſubdit:

Sy-

Synodus *rejectis reliquis Latinis, unam hanc Vulgatam reliquis tanquam . . . SUIS FONTIBUS, unde eſt orta, magis conſentientem pronuntiavit*; quomodo ergo potuiſſet S. Synodus pronuntiare Vulgatam inter omnes Latinas magis conſentientem fontibus unde eſt orta (*a*), ſi nihil penitus de fontibus egiſſet? Sarpius tametſi nullum non moverit lapidem ut veritatem infuſcaret, adhuc diſertiſſime fert (*b*), tam graviter & diligenter Patres & Theologos Tridentinos locutos fuiſſe & diſceptaſſe ſuper materia fontium & Vulgatæ Hieronymi, ut minime contenti fuerint rem iſtam abſolvere otio unius conciliaris Congregationis. Item Pallavicinus exponit ſummam epiſtolarum, quas e loco Concilii ſcripſerat Præſes Concilii Cardinalis S. Crucis ad Secretarium Summi Pontificis, & Legati Pontificii ad Cardinalem Farneſium, uno calamo denuntiantes: idcirco Concilium poſt diligentiſſimum ſcrutinium compoſuiſſe decretum in favorem Vulgatæ, quia plane clarebat, Hebræos & Hæreticos multis in locis corrupiſſe fontes Scripturarum: *Eſſendo* (*c*) *aſſai chiaro, che gli Ebrei e gli Eretici hanno corrotti i Teſti della Scrittura in molti luoghi*. Et tandem, quomodo Patres poterant nihil agere de Exemplaribus Græcis & Hebraicis, quum non ob aliam cauſſam Vulgatam approbarunt, niſi ut compeſcerent moroſitatem eorum, qui fidentes hodiernis fontibus novas verſiones Latinas ediderant, & his mediantibus Eccleſiam graviter turbarant? quum idcirco Novatores nolebant ſtare ſententiis Vulgatæ, quia tuebantur fontes hodiernos eſſe authenticos, & antiquum Interpretem in multis hallucinatum? Si Patres nil penitus de fontibus egiſſent, nullumque ſermonem de eiſdem habuiſſent haud leve pondus acceſſiſſet ex ſuo ſilentio hypotheſi Novatorum; ſicque iſti eo majores vires audacius ſumpſiſſent, quo Patres minus caute & inconſultius Vulgatam probaviſſent: abſit ergo ut nos quoque ad eundem ſcopulum offendamus, in quem non tantum Hæretici, ſed plerique Catholici, propter hocce teſtimonium Salmeronis male intellectum, impegerunt.

(a) *Non enim Synodus pronuntiavit Vulgatam conſentire fontibus utcumque*, ſed fontibus unde eſt orta; *quod perinde eſt ac ſi dixiſſet, conſentire fontibus non hodiernis, qui corruptelis ſcatent, ſed puris & immaculatis, ex quibus Vulgata olim expreſſa fuit ab aliquibus Apoſtolorum vel Apoſtolorum diſcipulis. Nec refert quod Vulgatam quoad vetus teſtamentum non ex Hebræo, ſed ex Virali primi Auctores hauſerint, quoniam ſicut eo tempore tam verſio Viralis quam fons Hebræus limpide fluebant, ita non diſcordabant ad invicem, & per conſequens idem eſt ac ſi ex ipſo fonte Hebræo Vulgata eſſet expreſſa.*

(b) *In Hiſtor. Concil. Trid. Lib. II. p. 159. & ſeqq.*

(c) *Apud Pallavicinum Lib. VI. Cap. XVII. n. 15. pag. 659.*

550. Ad illud ejuſdem Salmeronis: *Liberum reliquit omnibus fontes conſulere* diſtinguo; quoad effectum clarius intelligendi Vulgatam, eſto, quoad effectum ejuſdem emendandæ ſubdiſtinguo, pro ſemper, & a mendis Interpretis, aut illis mendis, quas Eccleſia nuſpiam judicavit correctione dignas nego, pro definito tempore, & a mendis quæ vitio Librariorum aut temporum injuria irrepſerant, quibuſque codices Vulgatæ illius temporis ſcatebant iterum diſtinguo, liberum reliquit in illis tantum caſibus, in quibus vetuſti correctioreſque Latini codices taliter diſcreparent ad invicem, ut nihil certi ex eis erui poſſet, concedo, aliter nego. Qui amat tenebras, veras diſtinctiones odio habet, ſive id accidat ex infirmitate ingenii ſpernentis quod non capit, ſive ex malitia qua contendit omnia confundere, ne veritas illuceſcat. Itaque Synodus Tridentina liberum reliquit omnibus, qui Scripturas profundius meditantur fontes conſulere, non ut *Hæretici*, inquit idem Salmeron cit. *frequenter impudentiſſime faciunt, ſed quatenus opus ſit*, id eſt, quoad effectum expendendi & clarificandi Vulgatam, ſive *quo eam dilucidius explicare atque illuſtrare poſſint*. Quantum vero ad effectum ejuſdem emendandæ liberum reliquit *primo*, pro eo tantum temporis ſpatio, quo S. Sedes non ederet codicem a mendis

dis caſtigatum (*a*); *ſecundo*, non quoad ea loca emendanda, quæ conſtarent eſſe fœtus antiqui Interpretis, aut quæ Hieronymus juſtis de cauſſis noluit emendare, ſed tantummodo quæ *vitio Librariorum vel temporum injuria corrupta*: in quibus quoque emendandis Synodus liberum reliquit conſulere fontes non abſolute, ſed in hypotheſi quod Latini codices vetuſtiores & correctiores datis in locis non ſatis convenirent; ſi vero concordare reperirentur, tunc non ex fontibus, ſed ex præfatis Latinis ea loca caſtigarentur. Id Salmeron, ni fallor, excepto poſtremo docuiſſe videtur, idipſum per ſingulas partes pro data opportunitate conati ſumus oſtendere; & per conſequens libertas, quam teſtatur Salmeron relictam fuiſſe viris doctis circa inſpectionem fontium, nullimode ſuffragatur iis qui autumant, Vulgatam fuiſſe prælatam Latinis editionibus & non fontibus.

551. Quod vero in votis potiſſimum eſt, utinam & huic clariſſimo Theologo Concilii Tridentini Recentiores adhæſiſſent. Salmeron tradit, Concilium probaſſe Vulgatam ſublatis mendis, quibus codices illius temporis occurrerant; Recentiores hoc reticent, ut ſubdolo prætextu, quod Concilium non obſtantibus mendis adhuc Vulgatam eiſdem ſcatentem declaravit authenticam, ſibi ſtruerent viam ad ſuadendum iſta frigida emplaſtra: *Concilium approbavit Vulgatam in rebus tantum fidei & morum. Mendæ levioris momenti minime authentiam tollunt. Scopus Concilii*

(a) Voluit præterea, *pergit loc. cit. p.24. col.2.* Sancta Synodus, ad hanc Latinam editionem amplectendam, & in omnibus conſectandam nos arctare, non quidem ſimpliciter, ſed dummodo eſſet a vitiis, quæ in eam irrepſerunt, & ab omnibus mendis, & erroribus emaculata, atque repurgata. Atque utinam labor in ea expurganda & recognoſcenda inchoatus per peculiarem illuſtriſſimorum Cardinalium, atque doctiſſimorum virorum deputationem a Sanctiſſimo D. N. Pio V. indictam, tandem aliquando perficeretur: ita enim fieret, ut Latinam Bibliorum editionem genuinam & germanam magno cum totius Eccleſiæ, & ſtudioſorum utilitate brevi haberemus.

cilii fuit tantum definire, Vulgatam nullo pernicioſo errore eſſe fœdatam, & cætera hujuſmodi. Salmeron de mente Concilii monet conſulendos codices fontium & veterum Patrum, donec S. Sedes non ederet in lucem Vulgatam correctam; Recentiores variis cavillis & velamentis contendunt Vulgatam etiam correctam a S. Sede licenter appendere ad ſua privata judicia. Salmeron quamquam non introſpexerit mendas Vulgatæ primo & potiſſimum corrigendas ex vetuſtioribus & correctioribus Latinis, tamen quum inquit apertos errores Vulgatæ, quæ in codicibus illius temporis continebantur, emendari poſſe ex Hebræis vel Græcis, ſtatim ſubdit, *ſi tamen Eccleſiæ Dei & meliora ſentientibus* (ſubaudi) *ita videatur*; Recentiores non modo venditant Vulgatam correctam emendandam ex Hebræis & Græcis, ſed inſuper de mente Concilii & S. Sedis id ſe facere temere teſtantur. Quid plus? Salmeron eo unico fine protulit: *nihil de exemplaribus Græcis & Hebraicis agebatur &c. Liberum reliquit &c.*, ut oſtenderet, Synodum per approbationem Vulgatæ non rejeciſſe fontes; Recentiores præfata verba aſſumunt ad obtrudendum, fontes non tantum non eſſe rejectos, ſed etiam Vulgatæ prælatos: ille propter inſanabilem diſcrepantiam, quam eſſe agnovit inter Hebræum & Vulgatam Hieronymi, tenet (*a*), eum qui diceret, volumina Hebræorum ſincera eſſe, de conſequenti tenetur fateri hujuſmodi abſurdum, Vulgata Hieronymi corrupta eſt & depravata; iſti neque Salmeronianam conſequentiam admittunt, neque conſequens pro abſurdo habent: ille Vulgatam probatam in Concilio teſtatur eſſe Hieronymi, iſti exceptiones opponunt: ille haud afferere dubitat, Hieronymum in Spiritu Sancto verſionem ex Hebræo concinnaſſe, iſti libere inficiantur: tantum igitur abeſt, ut Salmeron ſuffragetur hypotheſi adverſariorum, quin potius pro palato illius ævi

(a) *Prol. IV. p. 29. col. 2.* ſatis

satis eandem infirmarit & rejecerit.

552. *Ad Andream Vegam*. Nescio equidem, Theologus iste cæteroquin doctus & pius, uti claret ex universo ejus Opere de *Justificatione*, quomodo de præsenti argumento nonnulla obiter proferens, inglorius manserit: usqueadeo ut a S. Congregatione Concil. Trident. Interpretum hanc sibi censuram promeruerit: *Acriter reprehendendus Vega Libro XV. de Justificatione capite nono, qui audacter locutus est de hac re* (a). Nec refert quod nonnulli pro supposititia hujusmodi censuram habeant, quandoquidem qui diligenter conferet doctrinam Vegæ cum verbis decreti Concilii Tridentini, & sententiis Apostolicæ S. Sedis, omnem penitus suspicionem exuet. Constat enim, Concilium taliter adprobasse Vulgatam veterem, ut in negotio emendationis nullimode corrigeretur antiquus Interpres, & ubi dubium emergeret desuper germanitate lectionis ejusdem, primo & potissimum consulerentur Latini codices; & tamen Vega hujusmodi facultatem corrigendi antiquum Interpretem non modo libere concedit linguarum peritis, & quod correctio Vulgatæ potissimum fiat ad normam hodiernorum fontium; sed insuper testatur, hanc fuisse mentem Tridentinorum PP., qui decretum Vulgatæ confecerunt, perinde quasi melius sibi, quam Apostolicæ S. Sedi res ista innotuerit. *Addas*, quod nec sibimet satis constat: modo enim videtur fateri in Vulgata, quæ circumferebatur tempore Concilii Tridentini, reperiri menda tantummodo Scriptorum vel chalcographorum (*b*); modo eidem Vulgatæ appingit menda etiam Interpretis. Quamvis testetur, Concilium adprobasse Vulgatam ad coercendam confusionem quam affert multitudo translationum;

(a) *Ita legitur in Bibliotheca cujus usum habuit Cardinalis Bellarminus.*

(b) Synodus, *inquit Vega Lib. XV. in XVI. Cap. Decreti de Justificat. pag.* 476. *edit. Venet.* 1548. approbavit duntaxat Vulgatam editionem repurgatam a mendis, quæ vitio Scriptorum vel chalcographorum in eam obrepserunt.

num; simulque tamen affirmat, quod nemo per approbationem Vulgatæ impediatur, quominus ubi hæsitaverit ad fontes recurrat, & in medium proferat quicquid habere potuerit, ut Vulgata editio ab erroribus repurgetur, quasi quod hujusmodi libera agendi ratio non æque ac antea tenderet ad confusionem Scripturarum. Et tandem præfata Vegæ doctrina, de libero recursu ad fontes quoad Vulgatam emendandam, in nullo ferme differt ab ea, quam tradidit Clarus Brixianus in Prologo & Prolegomenis, quamque Vatablus in suis adornandis Bibliis usu tenuit: ast cuique perspectum est, istorum præfata Opera censuram incurrisse (*a*); nulli itaque dubium, quod Vega hac in parte a vero aberrarit, tametsi vir probatus simulque cum Clario interfuerit Concilio Tridentino.

553. *Ad Sixtum Senensem*. Ipsi quoque ultro fatemur, in omnibus singulisque Vulgatæ codicibus, qui circumferebantur tempore Concilii, nonnullas reperiri mendas, soloecismos, barbarismos, hyperbata &c., & quod ex his nullum detrimentum transfusum fuerit in Ecclesiam, circa perpetuum beneficium habendi veras integrasque Scripturas: adversarii autem, ut aliquod exinde captent emolumentum opus est ostendant, ad voluntatem Senensis Concilium adprobasse Vulgatam subintellectis allegatis vitiis, & quod eandem postposuerit hodiernis fontibus, quod sane nec pro tantillo Senensis subodoratur præfato loco, nec ex universa ipsius doctrina colligi potest, quinimmo argumentatur oppositum juxta ea quæ exposuimus num. 535. Verum tamen est, quod quum Sixtus aliique Theologi illius ætatis prætermiserint clarius indigitare, quod Concilium non consecravit Vulgatam utcunque, sed solummodo Vulgatum volumen Bibliorum, quod Biblia Vatabli dicitur, aut partes ejus, concedi viris piis & doctis poterunt. Ex Bibliis vero Isidori Clarii Brixiani prologus, & prolegomena præcidantur, ejus vero textum, nemo textum Vulgatæ editionis esse existimet.

(a) *In tertia regula Indicis jussu Concil. Trident. edita hæc habentur:*

gatam veterem in ſe ſpectatam (*a*) ſeu ut a primo Interprete editam, & a D.Hieronymo priſtino nitori reſtitutam, quod idem eſt ac dicere, ab omnibus mendis correctione dignis immunem; idcirco non parva rerum confuſio in ipſam Dei Eccleſiam ſubrepſit, & eo tandem progreſſa eſt, ut P. Natalis cum aliis Recentioribus crediderit, non pugnare contra decretum S.Synodi, qui in Vulgata etiam correcta cenſeret aliquas mendas ſupereſſe. Poſito enim quod Synodus probavit Vulgatam veterem in ſe, omnium nimirum vitiorum expertem, quamque hodie tanquam in ſpeculo nobis Vulgata correcta repræſentet, qua lege decreto S.Synodi non detrahet, qui cenſeret, in Vulgata correcta etiamnum menda corrigenda reperiri? quomodo non blandiretur Hæreticis calumniantibus, Concilium conſecraſſe etiam vitia, quibus Vulgata tunc erat obnoxia, & Latinam Eccleſiam nuſpiam habuiſſe veras integraſque Scripturas in codicibus Latinis, quibus ſemper uſa eſt? Dicam plus: ſi juxta Senenſem temerarium erat & plane hæreticum propter leves quoſdam defectus, qui revera extabant in codicibus illius temporis, ſpernere ipſam Vulgatam, & in locum ejus novas profanaſque translationes introducere; quaquæſo cenſura taxandi non erunt hodie, qui hiſce noſtris utcunque obſervatis adhuc contenderent vitiorum inſimulare Vulgatam correctam, & aliam peregrinis lectionibus refertam obtrudere? Dixi qui hiſce obſervatis, quandoquidem *Theologi*, qui hactenus de re hujuſmodi ſcripſerant haud excuſatione carent, quum permulta ſcitu neceſſaria eos latuerint, & nonniſi aliter, vel ſine ſyſtemate arduam hance provinciam illuſtrandam ſuſceperint, perplurima aliena fide longe amplius propagando.

554. *Inſtabis*. Senenſis loco cit. agnoſcit pro mendis ea Vulgatæ loca, quæ Sanctes Pagninus, Thomas Cajetanus, Franciſcus Forerius, & Hieronymus Oleaſter viri ex Dominicano Ordine eruditiſſimi, interpretationibus & explanationibus ſuis indicarunt: fatur quoque, præfatos errores, menda, & depravationes ab eodem D. Hieronymo fuiſſe conſulto relicta in veteri editione Novi Teſtam.; atqui conſtat in hodierna Vulgata correcta permulta ex iis mendis reperiri, quæ a præfatis viris doctis taxata fuere, ſicut ea etiam quæ Hieronymus inemendata reliquit; alioquin Vulgata correcta diverſa foret ab editione Hieronymiana; ergo teſtimonium Senenſis æque militat contra Vulgatam correctam.

(a) De *qua ex inſtituto diſſeretur num. 629.*

Reſp. Si Romani Correctores Vulgatam Sixtinam ſive Clementinam adornaſſent ad normam interpretationum, & explanationum prædictorum Dominicanorum, pari ratione debuiſſent adhærere Iſidoro Clario, Vatablo, aliiſque viris doctis de Romana communione, immo & Hæreticis in iis ſaltem, ex quibus nihil pernicioſi erueretur circa fidem & mores; quoniam eiſdem penitus præſidiis fontium & linguarum, iſti & illi Vulgatam aliarum mendarum inſimularunt, in quo quidem caſu Correctores haudquaquam priſtino nitori reſtituiſſent Vulgatam veterem, ſed novam penitus peregrinamque editionem obtruſiſſent, contra expreſſum graviſſimumque mandatum Concilii Tridentini & Apoſtolicæ S. Sedis, uti expoſitum eſt num. 434. Itaque ſi Romani Patres in negotio correctionis flocci fecerunt menda ab allegatis Dominicanis, aliiſque Hebraiſtis accumulata, luce clarius liquet, voces & lectiones Vulgatæ correctæ, quæ non reſpondent interpretationibus & explanationibus illorum, non eſſe menda in ſe, ſed penes Sixtum Senenſem cæteroſque privatos Theologos, qui plus æquo ſtuduerunt rimari & dirimere quaſdam perpleſſas Vulgatæ difficultates adminiculo hodiernorum Contextuum & regularum grammatices, quaſi ejuſdem omnino ſubſidii hodie eſſent ac Hieronymiano tempore. Ultraquamquod, nunquam præfatos religioſos Theologos cum Senenſi pro vitiis agnituros fuiſſe arbitror eas voces & lectio-

ctiones, quas ex veteri Vulgata Correctores retinuerunt, si eisdem datum esset auscultare judicium S. Sedis desuper illis, sive intueri Textum Latinum a S. Sede castigatum: quandoquidem bene noverunt Christianam Religionem potissimum niti spirituali fundamento, nempe Christo, cujus vices in terris gerit Romanus Pontifex, & humanam rationem fungi munere ancillulæ, in quantum scilicet solummodo inservit ad ferendum judicium discretionis & examinis, non autem judicium decisionis ex auctoritate (*a*).

555. Ad aliud ejusdem Senensis. Nullum penitus locum invenio apud Hieronymum, in quo indicarit se in veteri editione Novi Testam. consulto reliquisse menda, errores, ac depravationes: ut potius non semel testatus sit, idcirco in ejus nova versione adornanda nec vigiliis peperciisse, nec laboribus, nec impensis, nisi ut Ecclesiam Latinam puro sinceroque Scripturæ Textu ditaret. Legesis quæ exposuimus num. 260. & seqq., quibus hoc aliud testimonium adiicies: *Cujus*, inquit (*b*) *studium fuit omissa repetere, depravata corrigere, & Sacramenta Ecclesiæ puro & fideli aperire sermone . . . . Habeant, qui volunt, veteres libros vel in membranis purpureis, auro, argentoque descriptos, vel uncialibus, ut vulgo ajunt, litteris onera magis exarata, quam codices, dummodo mihi meisque permittant pauperes habere schedulas, & non tam pulchros codices, quam emendatos.* Quomodo enim Sacramenta Scripturarum Hieronymus tradidisset Ecclesiæ puro fidelique sermone, si in eisdem consulto reliquisset menda, errores, & depravationes? *Addas*, quod nec eundem Senensem id latuit, quandoquidem non multo antea (*c*) hæc habet. *De editione Latina veteris Testam. a Hieronymo facta, quam fide*

(a) *Recole dicta num.* 474., *ac dictura* 604. *& Cap.* 1. *tertiæ demonstrat.*
(b) *Præfat. in Job Tom. III. pag.* 690. *G.*
(c) *Lib. VIII. Biblioth. S. Hæres. XIII. p.* 1106.

de certa, vera, dilucida, & exacta fuerit, ipsemet Hieronymus indicat. Et paulo infra subdit: *Novam vero editionem, seu castigationem Hieronymi, etiam ipso vivente, maximo favore ab Ecclesia fuisse receptam, indicat Augustinus his verbis: Proinde, non parvas Deo gratias agimus de opere tuo, quod Evangelium de Græco in Latinum interpretatus es, quia pene in omnibus NULLA OFFENSIO EST.* Haud dissimulo, Hieronymum Præfatione ad quatuor Evangelia hæc scripsisse: *Codicum Græcorum emendata collatione, sed veterum, qui ne multum a lectionis Latinæ consuetudine discreparent, ita calamo temperavimus, ut his tantum, quæ sensum videbantur mutare correctis, reliqua manere pateremur ut fuerant.* Verum quem virum doctum fugiet tam longum latumque discrimen, quod intercedit inter ista Hieronymi & Senensis verba? Hieronymus ex eo quod fatur, inspectione & collatione veterum Græcorum codicum ea solummodo loca correxisse, quæ videbantur sensum mutare, plane eruitur, idcirco alia reliquisse uti fuerant, quia falsum sensum nec præseferebant, nec præseferre videbantur, & quantumvis correxisset semper idem sensus esset; Senensis autem quum affirmet, Hieronymum consulto reliquisse menda, errores, ac depravationes, unusquisque profecto intelliget, ea etiam consulto reliquisse immutata, quæ necessario castiganda forent: quod nonnisi Joannes Clericus vel alius iniquus impostor ausus est comminisci, evulgans (*a*), quod non ex animi sententia interdum Hieronymus laudavit & sequutus fuit septuaginta Interpretes, sed ut amoliretur invidiam, quæ ei creabatur ab inimicis, ac satisfaceret vulgo Theologorum tunc temporis habentium maximam rationem versionis Septuaginta, nec de hujusmodi opinione facile deducendorum. Pro majori tamen hujus rei captu haud prætermittas quæ exponentur num. 657. & 658.

556.

(a) *In Quæstionibus Hieronym. quæst. VIII. num. XV. p.* 260. *quæst. IX. n. V. p.* 298 *& alibi.*

556. Prius vero quam ad alios Theologos incumbamus refellamus oportet, quæ Senensis eodem præjudicio abreptus addidit: nempe quod veteres Ecclesiæ Patres errata a Hieronymo relicta bene noverint, non approbarint, & justis de causis dissimularint, edocti exemplo Sanctorum Apostolorum, qui quanquam scirent editionem Septuaginta in multis redundare, & in multis deficere, eam tamen ubique prædicaverunt, & ex ea prima nostræ fidei fundamenta jecerunt. Verum enim vero, nec vel uno fugaci exilique monumento Senensis id probat, nec unde didicerit citat, vel a nobis fando auditum fuerit; ut potius, si necessitas urgeret, possemus in eundem commovere plenam nubem veterum, qui Hieronymianam versionem in omnibus fide dignissimam censuerunt, summis laudibus celebrarunt, eadem private & publice religiosissime utentes, ex dicendis Demonstratione secunda. Ita quoque sibimet contradicit, quum redundantiam & deficientiam versionis Viralis, cujus usum Apostoli habuerunt, amandat ad menda errores & depravationes, perinde quasi Apostoli prædicarint Scripturam erroribus obnoxiam, & ex ea sic fœdata prima nostræ fidei fundamenta jecerint. Namque loco cit. Biblioth. S. p. 1105. eleganter affirmat probatque, divino lumine & non humano ingenio a Septuaginta duobus viris Spiritu S. plenis editam esse Græcam versionem; & infra solvens argumenta Hæreticorum petita ex capite detractionis, reponit: *Hieronymus eos* (Interpretes) *multis in locis egregie tutatur, demonstrans, eos nec negligenter, nec malitiose, sed prudenti pioque consilio, multa de Christi Sacramentis, & Sanctæ Trinitatis mysteriis omisisse:* & quoad redundantiam ab Hæreticis pariter oppositam subdit: *De his vero, quæ ab eisdem* (Interpretibus) *addita sunt, D. Hieronymus in Libro de optimo genere interpretandi ostendit, in illis verba non esse consideranda, sed sensum ad quem Septuaginta ipsi nihil de suo addiderunt, licet verba quædam, quæ in Hebræo non erant, adjunxerint.* Hæc vero quomodo stabunt cum

cum iis, quibus Senensis indicat versionem Septuaginta, quam Apostoli prædicarunt, obnoxiam fuisse erroribus detractionis, & redundantiæ? Cæterum si Apostolorum temporibus versio Viralis scatuisset erroribus, neque Christus ad eam indiscriminatim scrutandam discipulos misisset, neque Apostoli prætermisissent a præfatis depravationibus abstergere.

557. *Ad Bellarminum tandem, Serarium, & Pallavicinum* dicimus, præfata eorum testimonia ac sententias, nec consentire veritati, nec ipsismet honorifica esse; quoniam licet spectatis nudis verbis Tridentini decreti nulla habeatur mentio fontium, & de Latinis tantum *editionibus* fermo fiat; quod vero Synodus in Congregationibus præhabitis desuper adprobatione Vulgatæ, diserte egerit de fontibus tam in se, quam cum comparatione ad Vulgatam, satis superque hucusque enucleasse putamus: quandoquidem juxta dicta num. 482., idcirco Synodus Vulgatam antiqui Interpretis probavit, quia bene novit, hanc inter omnes Bibliacos fontium & versionum codices, qui ad nos usque pervenerunt, magis consentire Autographis Prophetarum & Apostolorum: & ex n. 535., ideo Hæreticos pro arbitrio majorem fidem adhibere hodiernis fontibus, ut peregrinas Scripturas obtruderent. Isthæc autem sponte sua cujusvis Theologi attente considerantis subeunt animum, suadentque, Patres Tridentinos affatim eruditeque disseruisse de fontibus ante editionem decreti; quibus adiicies relationes Sarpii & Pallavicini, quibus hoc *ipsum contestantur apud nu.* 549. Si vero interrogetur, eccur S. Synodus in præfato decreto nullum penitus verbum habuit de fontibus? reponam, quia nihil intererat. Si qua enim occasio foret utilitas aut necessitas faciendi mentionem in decreto de exemplaribus Hebraicis & Græcis, maxime studio eorundem vel in parte vel in toto probandorum vel reprobandorum; at S. Synodus omnia singulaque exemplaria Hebraica & Græca neque approbavit, neque reprobavit, & duntaxat ex declaratione Congregationis Concil. Trident. Interpretum eadem

dem remiſſa fuerunt ad tertiam regulam Indicis, de qua nu.90.; jure igitur meritoque in decreto nullum de fontibus verbum habere voluit. *Confirmatur*, quia Latina Eccleſia ſemper editione Latina uſa fuit & utitur, & e contra callidiſſimus humani generis hoſtis, teſte celeberrimo Papa Syxto V. (*a*), nullum non movit lapidem, ut hujuſmodi cæleſtem Latinam divini verbi ſementem vitiaret, opprimeret, & extirparet mediantibus corruptiſſimis Latinis editionibus, quas tam Hæretici quam quidam Catholici, licet diſſimili conſilio, ex eo jam tempore obtruſerant, uſque adeo nihil rati, ac firmi, nulla denique inviolabilis auctoritas ſine magna difficultate reperiri poſſe videretur; idcirco graviſſima cura Synodum inceſſit, ut quemadmodum fidelibus utpote Textu Latino utentibus erat ſumme neceſſarium ſcire, quænam inter tot editiones Latinas, quæ tunc circumferebantur, habenda foret pro germana & authentica; ita iidem omnino quieſcerent, dum ex ejus decreto ſolam Vulgatam veterem inter tot Latinas editiones pro authentica habendam diſcerent: ergo quum Eccleſia Latina nuſpiam in publicis privatiſque lectionibus, officiis, prædicationibus &c. uſa fuerit fontibus, ſicque fideles nulla premebantur neceſſitate ſciendi, quorſum perveniat eorundem integritudo, & auctoritas, non levi certe bene agendi peritia Synodus pro ſuperfluo habuit ibi recordari fontium. *Item*, S. Synodus primum potiſſimumque præ oculis habuit *providere* ſaluti animarum, quæ ſolo pabulo editionis Latinæ per tot retro ſecula fructum centuplum peperunt; non autem moroſis tricis eruditorum, qui paucis antea annis prætermiſſo neceſſario ſcrutinio rerum divinarum relative ad noſtram fidem informandam atque mores, ſe dederunt verborum aucupio, Rabbinorum more adtendentes non ad res & medullam, ſed ad vocabulorum corticem; igitur S. Synodus quam prudentiſſime ſe geſſit, quum de eo ſolo in decreto egit, quod potiſſimum ſpectabat ani-

(a) *In ejus Diplomate* Æternus *ſub init.*

marum ſalutem: ſicque longe falluntur, qui ex ſilentio decreti quoad exemplaria fontium, colligunt vel S. Synodum nihil penitus egiſſe de fontibus, vel Latinis tantum editionibus Vulgatam prætuliſſe. *Addas* ea quæ adtigimus num. 487. & 488., nimirum ſi Concilium ſolis Latinis editionibus & non fontibus hodiernis Vulgatam prætuliſſet, nullo modo potuiſſet decernere, Vulgatam pro authentica habendam, neque excommunicationis ſtigmate eos inurere, qui Vulgatæ verba quovis prætextu reiicerent.

558. *Inſtabis* Teſte Serario, in Prolegom. Cap. XXX. q. XII., Hæreticorum ſententia eſt, ſicut & quorundam Catholicorum aſſerere, Concilium antetuliſſe Vulgatam fontibus; & e contra reperiri Catholicos complures bonos Auctores, qui clare antelationem iſtam negant.

Reſp. En manifeſtum indicium, quo colligi poteſt, Serarium eoſque, qui ei conſentiunt, haud penitius rem introſpexiſſe. Calvinus enim aliique Hæretici, quos eo loci Serarius citat, contendunt, Concilium *inſcitiſſime & præpoſtere* antetuliſſe Vulgatam *fontibus*, quam profecto blaſphemiam nemo Catholicorum vel ſomniare auſus eſt; quinimmo ii doctiſſimi Theologi, quorum veſtigia premimus, quique affirmant, Concilium quam rectiſſime antetulit Vulgatam fontibus, multo longius latiuſque diſtant ab Hæreticis, ac Serarius cum aliis. Siquidem Hæretici, ex quo hodiernis fontibus omnimodam puritatem tribuunt eodem Serario teſtante (*a*), inferunt *conſequutione cæteroquin naturali* & neceſſaria *primo*, iis locis in quibus fontes & Vulgata non concordant, corruptelas ſe tenere ex parte Vulgatæ, non autem ex parte fontium; *ſecundo*, Vulgatam poſtponendam fontibus, & ad eorundem normam emendandam, non e contra; *tertio*, Patres Tridentinos de-

 buiſ-

(a) Quemadmodum Hebræo Textui hodierno tribuebant in veteri Teſtamento omnimodam puritatem Novatores, ita & Græco Textui tribuunt in Novo Teſtamento. *Serarius Proleg. Cap. XIII. q. unica p. 76. col. 2.*

buiſſe potius fontibus, quam Vulgatæ ferre præſidium; atque ita concludunt, Tridentinos inſcitiſſime eam pro authentica venditaſſe, ſeu prætuliſſe fontibus. Hujuſmodi autem Hæreticorum ſyſtema haudquaquam valent reſpuere ii Theologi qui cum Serario affirmant, Concilium non antetuliſſe Vulgatam fontibus; quoniam ſi ab eiſdem interrogetur, quare non antetulit fontibus, opus eſt confugiant ad præfatum Hæreticorum principium, reponentes, quia fontes hodierni omnimodam puritatem ſpirant (quod aliunde a Serario (*a*) denegatur) & conſequenter tenentur deſponſare præfata Novatorum conſectaria, ipſi quoque cum eiſdem detrahentes tum Vulgatæ, tum PP. Tridentinis. Quod, ſi vero hujuſmodi abſurdo territi, cogitarent principium illud aſpernari, vel eo admiſſo non adhærere conſectariis, in utroque caſu, ut bene vides, claudicarent, nunquam valentes adæquatam rationem reddere, cur Concilium non antetulit Vulgatam fontibus: atque ita apparenter tantummodo videntur ab Hæreticis diſcordare, re tamen vera eiſdem ſuffragantur. Secus autem ſors noſtra: ſi cum Hæreticis afferimus, Concilium antetuliſſe Vulgatam fontibus, alia tamen via incedimus, & ea ſane qua allegatum Novatorum ſyſtema funditus divellamus. Proferimus enim Concilium jure optimo antetuliſſe Vulgatam fontibus, quia fontes hodierni curruptelis abundant, quemadmodum ad nauſeam hucuſque depromptum eſt: ſi corruptelis abundant, conſequens plane eſt *primo*, quod diſcrepantibus ad invicem Vulgata & fontibus, ex parte iſtorum vitium unice ſe teneat; *ſecundo*, quod fontes ſint Vulgatæ poſtponendi, & ad eorum ſtateram emendandi; *tertio*, quod Patres Tridentini quam rectiſſime antetulerint Vulgatam fontibus, ſive Vulgatam & non fontes recte agnoverint pro authentico Scripturæ Textu: ſicque ſyſtemati Hæreticorum ad radicem putamus imponere falcem.

Qui-

(a) *Legeſis ejus verba apud Caput I. n. 46. & 160.*

Quibus inferes, quod mendacium Calvini non conſiſtit in eo, quod retulerit Tridentinos antetuliſſe Vulgatam fontibus, uti a Bellarmino aliiſque creditum eſt & pervulgatum; bene autem in aſſerendo, quod Tridentini inſcitiſſime eam prætulerint; præſupponens quod ex fontibus hodiernis, ubi a Vulgata diſcordant, poſſit purus liquor proferri, & Vulgata de manifeſto vitio redargui. Si enim juxta dicta, diſſentientibus Vulgata & fontibus, vitium ſe tenet ex parte fontium, non modo cohibetur Calvini mendacium apertiſſima calumnia in Tridentinos mixtum, ſed oſtenditur inſuper, ſapientiſſimos Patres jure optimo protexiſſe Vulgatam, tum Latinis editionibus tum ipſis fontibus præferendo. Ne Corollarium iſtud longius eat, prætermittimus differere de Bellarminiano Libello, in quo diſerte oſtenditur, Concilium in rebus tantum fidei & morum probaſſe Vulgatam, quemque Auctor Hiſt. litterariæ recudit inſeruitque primo Tomo Jacobi Tirini edit. Venet. an. 1760. Et eo vel maxime, quod nullum ferme argumentum in eo profertur, cui expreſſe non faciamus ſatis, aut ſaltem ex his quæ abunde præſentamus, multiplex non colligatur reſponſio.

559. Quantum denique ad Pallavicinum ſingulariter attinet, probe equidem novit vir doctiſſimus (*a*) *primo*, vix exiguam incertamque cognitionem linguæ Hebraicæ mundo hodie illucere, itaut hodierni Hebraiſtæ non magis intelligant Textum *Hebræum*, *ac peritus Latini ſermonis intelligeret librum Latinum ſine litteris* vocalibus conſcriptum, refertum ſignis ambigue vocales & interdum etiam conſonantes indicantibus, & inſuper nec ipſas conſonantes exacte repræſentantem; *ſecundo*, hodiernos fontes Hebræi veteris Teſtamenti Græcive Novi haud levibus corruptelis ſcatere, itaut minime ſint Textus idonei ad convincendum de aliquo vitio Vulgatam tot re-

(a) *In Hiſtor. Concil. Trident. Lib. VI. Cap. XVII.* tro-

tro ſeculis ab Eccleſia conſecratam; *tertio*, inter eruditos hodiernos non reperiri, qui ſine temeritate valeat quoad linguarum peritiam, & exemplaria correctiora ſe præferre D. Hieronymo, qui ſi non auctor, ſaltem fuit Emendator hodiernæ Vulgatæ; *quarto*, Concilium adprobaſſe Vulgatam propter auctoritatem, quam obtinuerat apud veteres Eccleſiæ Patres, addita quoque divina Providentia, cui incubuit eam cuſtodire; *quinto*, idem Concilium animadvertiſſe, quod ſi id non ſufficeret ad eam probandam, omnes aliæ diligentiæ & ſtudia fruſtranea forent ad evitanda dubia; *ſexto*, temere affirmari, quod Vulgata a Concilio probata diſcordet in rebus fidei & morum tum etiam in minutis ab originalibus incorruptis; *ſeptimo*, nullum verbum fuiſſe conſcriptum in divinis Libris ſine cæleſti inſpiratione, quodque non complectetur peculiarem veritatem, & documentum alicujus myſterii. Quod ſi vero iſthæc & conſimilia Pallavicinus probe novit ſapienterque faſſus eſt, haud facile intelligam, quo fato paſſus fuerit ſe alio abduci, hæc alia proferens: Concilium adprobavit Vulgatam tantum in rebus fidei & morum; fieri poteſt alia verſio Latina, quæ proprius, clarius, meliuſque exprimat Originalia; non aliter intelligendum ſit decretum Concilii, atque narrat Andreas Vega; permiſſum eſt recedere ab iis Vulgatæ locis, quæ non pertinent ad fidem & mores, & ſuper quibus Theologi non conſentiunt, neque Eccleſia vetat. *Mirabile dictu!* Si ipſo quoque teſte nullum eſt verbum in divinis litteris, quod peculiari veritate & documento alicujus myſterii careat, quomodo in eiſdem erit verbum nullimode pertinens ad fidem & mores? ſi Concilium declaravit Vulgatam, neque in minutis diſcordare ab Originalibus incorruptis, quomodo nobis permiſſum erit recedere in minutis a Vulgata? ſi hodie laboramus imperitia Hebraicæ, & nonniſi depravata fontium exemplaria ſuppetunt, quomodo ſine temeritate poterimus præſidio hodiernæ Hebraicæ hodiernorumque fontium Vulgatam Hieronymi caſtigare, aliamque verſionem edere, quæ proprius, clarius, meliuſque exprimat Originalia? Nonne iſta, ut alia miſſa faciam, ita ſe inter collidunt, ac lux & tenebræ, album & nigrum, veritas & mendacium? Optarim profecto, ut tam inſignes præclarique Theologi pro eorum mentis perſpicacia, exquiſita rerum peritia, atque copia ſcribendi, adcuratius ſibique magis conſtantes hance cæteroquin arduam provinciam exercuiſſent, pro certo habens, in eam ſententiam, quæ veritati ſimul & Religioni magis videtur conſentanea, multis partibus Neotericos ipſos fuiſſe ituros; ſicque tam cauſſa quam error hac forte noſtra ætate finitus foret. Ut ut autem res ſe habeat, quanti Theologorum auctoritas in Dei Eccleſia facienda ſit, iterum animadvertemus nu. 563. & 675.

COROLLARIUM III.

Vulgata Clementis minime per hodiernos fontes emendanda eſt, ſed potius e contra.

560. Tametſi cuique recta ratione utenti, ex hactenus dictis innotuiſſe opiner, quanto momentorum pondere gaudeat poſtremum hocce corollarium; ne tamen aliqua ex parte perplexum dimittatur & obſcurum, brevi oratione eidem aliqualem ſaltem dabimus operam. Ideo Waltonus aliique Critici Vulgatam ad normam hodiernorum fontium examinandam, emendandam, probandamque eſſe ſtatuunt, quia præſupponunt integros eſſe & authenticos; ſed ex abunde liquatis conſtat, hodiernos fontes utroque titulo carere; ergo funditus cadit Criticorum commentum. *Præterea*, ſi Vulgata emendanda foret per fontes, maxime præſidio Regularum critices; ſed ex depromptis Cap. præcedenti uſus Regularum critices irritus eſt & vanus, ergo &c. *Tandem*, impoſſibile eſt Vulgatam ad normam fontium emendari, & non induci in Dei Eccleſiam Scriptu-

pturarum incertitudinem & confuſionem , & maxime in ſententia Proteſtantium concedentium cuilibet privato ſpiritui facultatem Scripturarum interpretandarum , ut innuimus n. 473. ; nonniſi ergo qui contendet extirpare Chriſtianiſmum , qui divinis ac definitis innitur Scripturis , & loco ipſius ſubſtituere Atheiſmum divinas Scripturas denegantem , ſerena fronte valebit noſtram inficiari adſertionem . Probatur aſſumptum , compertum eſt apud omnes , quod voces Hebraicæ ſint ambiguæ multipliciſque interpretationis , quod lingua Hebraica ſit incerta & dubia , quod codices hodierni Hebræi Textus innumerabilibus ferme variantibus lectionibus , vocibus , & litterulis ſcateant , & tandem quod hiſce aliiſque de cauſſis nullus pene in toto Hebræo Textu locus reperiatur , qui uno eodemque modo ab Hebraiſtis fuerit Latino ſermone redditus , quemadmodum exemplificavimus num. 459. deſuper *τὸ In principio* quo ſacer Textus orditur : ecquis ergo rationis compos ex hiſce momentis non intelliget , quod impoſſibile ſit &c.

561. *Accedit* quoque experientia , quæ in rebus cunctis illuſtris eſt rerum magiſtra . Quum ineunte quintodecimo ſeculo , tam inter Novatores , quam inter pleroſque DD. Catholicos irrepſerit abuſus corrigendi Textum Latinum ad normam hodiernorum fontium , brevi temporis ſpatio varietas & diſſentio Latinorum codicum adeo abundavit , ut tot viderentur eſſe exemplaria quot codices (a) . Quid tum ? quoniam Hæ-

(a) *Joannes Benedictus Normannus ac Vernolienſis Theologiæ Doctor ſcribere habuit circa an.* 1541. *in Præfat. Biblior. Pariſienſ. ex officina Simonis Colinæi pro Galeoto a Prato an.* 1541. : Miror cur tanta Scriptorum in tractandis transcribendiſque ſacris , atque adeo ſcriptis divinis , hactenus fuerit incuria , ut tot reperiantur exemplaria , quot codices . Quibus ſi non brevi occurratur , rediens tandem Hieronymus , & quiſquis optimus Interpres , quæ integra terſaque reliquerunt , negabunt eſſe ſua . *Et maximus Pontifex Sixtus V. initio ejus Diplomatis incipit* . Æternus : Malorum , *inquit* , omnium artifex Satanas . . . ex hac ipſa tam incerta ac multiplici verſio-

Hæretici noluerunt parere ſacroſanctæ Tridentinæ Synodo , quæ , Sixto V. teſtante , mederi cupiens præfato morbo , ſtatuit , ut ex tot variantibus Latinis editionibus ipſa ſola Vulgata vetus haberetur pro authentica ; quia renuerunt etiam agnoſcere pro germano & canonico Scripturæ Textu eandem Vulgatam ab Apoſtolica S. Sede perpolitam , idcirco ubi religioſiſſimi filii S. R. Eccleſiæ merito gloriantur habere & poſſidere apud Clementinos codices (demptis ſolis typographicis mendis de quibus egimus §. III. IV. & V. Cap. Prodromi) integrum canonicumque Scripturæ Textum , e contra hodierni Hæretici pœnam ſuæ rebellionis luunt ; quandoquidem licet jactabundi deprædicent ſe quoque theſauro divinarum Scripturarum frui , ſi vero cogantur ad proferendum in medium aliquem unum codicem , plane quem oſtendere vel citare , penitus nec habent , nec ſciunt : & potiſſimum hodierni Angli , qui omnia exemplaria Hebraica impreſſa agnoſcunt apud Oxonienſe folium (a) pro corruptiſſimis , aliunde Latinum Textum correctum accuſant vitiorum ferme innumerabilium , neque Anglicanis verſionibus , quas aduſque præſentem diem ſibi fabricarunt contenti ſunt (b) , immodica prurigine contendentes , Vulgatam & quamlibet aliam Verſionem præſidio regularum critices , ſive ad normam hodiernorum fontium emendaturam : ſicque facto conſtat , allegatum principium de emendatione Vulgatæ ad normam fontium , ſecum ine-

ſionum diverſitate & varietate ſumpta occaſione *ſic miſcere omnia* ac in dubium revocare , & ſi fieri poſſet rem eo perducere contendit , ut dum Scripturarum verbis diverſi Interpretes aliam atque aliam formam ac ſpeciem inducunt , nihil in iis certi , nihil rati , ac firmi , nulla denique inviolabilis auctoritas ſine magna difficultate reperiri poſſe videretur , itaut hoc ſeculo valde timendum fuerit , ne in priſcum illud editionum Chaos rediremus , de quo B. Hieronymus inquit : Apud Latinos tot ſunt exemplaria quot codices , & unuſquiſque pro arbitrio ſuo addidit vel ſubtraxit , quod ei viſum , & utique non poteſt verum eſſe quod diſſonat .

(a) *De quo nonnulla curſim attigimus n.* 415. 464. 465. *&* 468.

(b) *Ut expoſuimus in noſtra Apologia num. XXIV. & ſeqq.*

inevitabiliter ducere ſanctarum Scripturarum incertitudinem, & confuſionem., in quantum ſcilicet mediante hujuſmodi principio aperitur oſtium variis fontium interpretationibus, in quibus poſtea, ut probe animadvertit laudatus Sixtus, nihil certi, nihil rati, ac firmi, nulla denique inviolabilis auctoritas ſine magna difficultate reperiri poſſe videatur.

562. *Inſtabis cum Hæreticis*. Si datum momentum alicujus erit ponderis, nulla penitus ratio ſuppetet, qua non etiam Romanenſes Scripturarum incertitudinem & confuſionem nobiſcum non deplorent. Ea ſiquidem omnia, quæ hoc in rerum themate tenentur ac exercentur a noſtratibus, doctiſſimi quoque pontificiorum ſentiunt, & facto præſtant: ut enim Angli e. g. hodie dant ſedulam operam Hebraico Textui abſtergendo a mendis, quæ in exemplaria impreſſa irrepſerant, ad hoc ut tutiori via incedant ad ſtabiliendam genuinam lectionem in ipſo fonte, & poſtea in verſionibus; hoc ipſum a pleriſque viris diverſarum Urbium de Romana communione in præſentia factitatur: neque magis Proteſtantes quam Romanenſes notant menda quæ corrigenda ſuperſunt in ipſo Latino Textu correcto, quinimmo novas in dies adſcititias lectiones ac voces inſpectione fontium in eo deprehendentes negotium urgent, ut eorum Eccleſia dignetur iterum præfatum Textum caſtigare; & per conſequens incertitudo & confuſio Scripturarum quæ apud nos eſſe aſſeritur, vel eſt ridiculum & inane terriculamentum ſine cauſſa jactitatum, aut ipſos quoque Romanenſes in eandem confuſionis foveam incidiſſe fateamur oportebit.

563. Reſpond. Tranſmiſſo quod nonnulli critici Catholici in hujuſmodi provincia idipſum (licet abſimili conſilio) cum Proteſtantibus ſentiant & conficiant; idcirco tamen ex hac ſentiendi & agendi ratione apud Hæreticos tantummodo, & non Catholicos rite infertur incertitudo & confuſio Scripturarum, quia Hæreticis duntaxat arridet tri-

tribuere cuilibet privato ſpiritui facultatem interpretandi Scripturas. Quum enim Auctores Proteſtantium populari velamento protegendi chriſtianam libertatem, habeant quemlibet privatum ſpiritum pro idoneo Scripturarum interprete, conſequens eſt, ut tot exemplaria agnoſcant pro Scripturis divinis & canonicis, quot inter ipſos reperiuntur interpretes & interpretationes; ſicque inevitabiliter apud eoſdem regnet neceſſum erit Scripturarum confuſio (a). Catholici autem facultatem Scripturarum auctoritative interpretandarum, ore rotundo denegant cuilibet privato Theologo quantumvis de Eccleſia Romana benemerito, ac ſapientia *præſtantiſſimo*; eam unice tribuentes R. Paſtori, ſive integro corpori S. Matris Eccleſiæ; & per conſequens dato quod plerique doctiſſimi Theologi ex prætermiſſione exacti ſcrutinii videantur a Proteſtantibus non diſſentire quoad deſcriptum ſyſtema, perperam inde colligitur, ipſam Dei Eccleſiam eodem morbo confuſionis Scripturarum laborare. *Addas*, Catholici reipſa poſſident & definiunt atomum exemplar, quod Eccleſia declaravit habendum fore pro authentico Scripturæ Textu, uti ſunt Biblia Vulgata Latina a Sixto V. cor-

(a) *Ex hoc pariter ortum duxit ea religionum confuſio, quæ adulteram Proteſtantium Eccleſiam pervaſit. Quum enim unuſquiſque Miniſter ſectarius facultatem ſibi arroget Scripturarum rite interpretandarum, idcirco de articulis non fundamentalibus id ſentiendum, tenendum, & operandum quoad ſalutem ſat eſſe confidit, quod ſibi, ſuoque privato ſpiritui Scripturas meditanti conſentaneum videtur: tametſi alii miniſtri, & privati ſpiritus aliter Scripturas interpretentur, aliam doctrinam ex eiſdem colligant. Hinc quoque fluxit & illud eorundem Proteſtantium deliramentum, quo tenent, omnes in ſua ſecta ſalvari poſſe, & Eccleſiam Chriſti non aliud eſſe, quam ſectarum omnium collectionem; quoniam excepta doctrina fundamentali de rebus fidei & morum, quam ſolam volunt omnibus Chriſtianis neceſſariam eſſe & communem, e. g. credere Deum eſſe unum & Trinum, Chriſtum eſſe unigenitum Dei filium, hominumque ſervatorem, neminem ſalvari poſſe ſine regenerationis ſacramento, & conſimilia; cæterum circa doctrinam non fundamentalem, quæ ab eccleſiaſtica Poteſtate proponitur, dicunt, ad ſalutem neceſſariam non eſſe, ſed ab unoquoque privato ſpiritu, qui Scripturas interpretetur, probandam vel reprobandam. Legeſis opus dogmat. Matthæuc. Contr. I. Cap. V. n. 1. & alibi.*

recta, editaque ſub Clemente VIII.; Hæretici autem nec hactenus tale exemplar habuere, nec habere poterunt, donec ad Petri cathedram humiliter redeant. Namque ſicut pravo ſtudio ſervandi ſibi adſertam libertatem chriſtianam, nolunt a quolibet privato ſpiritu adimere privilegium Scripturarum interpretandarum, ita nulla eis ſuppetit via, qua valeant ſe ſe eripere a Scripturarum incertitudine & confuſione.

564. Quod vero a ſenſis S. Matris Eccleſiæ quam longiſſime aberrent ii Theologi, qui præſidio hodiernorum fontium conantur emendare correctum Textum Latinum, luce clarius ex eo affulget, quod Concilium Tridentinum & Apoſtolica S.Sedes præceperunt, ut in negotio correctionis Vulgatæ haud conficeretur nova editio, ſed ipſa Vulgata vetus ſuo priſtino nitori reſtitueretur, uti conſtat ex nu. 434. & ſeqq.; porro prorſus repugnat, ut quis emendet Vulgatam ad normam hodiernorum fontium & non obtrudat peregrinam editionem, diverſam a Vulgata vetere: hoc enim ſemel ſtatuto, plane Geneſ. I. v. 6. ſubſtituendum foret *fiat liquidum*, ſive *expanſum*, & Cap. III. v. 15. *ipſe* vel *ipſum*, ex eo quia, Hebraiſtis communiter teſtantibus, ita legitur apud hodiernum Hebræum; at ex dictis liquet, Textum Latinum ab Eccleſiæ Chriſti incunabulis conſtanter habuiſſe *fiat firmamentum*, *ipſa conteret caput tuum*; ergo ſi emendaretur ad normam hodiernorum fontium, haud *Vulgata vetus reſtitueretur* ſuo priſtino nitori, ſed contra apertiſſimam mentem Concilii Tridentini & Apoſtolicæ S.Sedis, alia peregrinaque Latina editio obtruderetur. *Confirmatur*, Apoſtolica S.Sedes reipſa ſprevit præfatis in locis, ſicut & in conſimilibus, emendare Vulgatam veterem ad normam hodiernorum fontium, & Arabicam verſionem hac lege elucubratam ſuppreſſit, & e contra ei Arabicæ ſuffragium accommodavit, quæ ex dictis num. 363. ad perpendiculum Vulgatæ concinnata fuit: qui ergo fieri poteſt, ut Theologi tutores adverſæ ſententiæ non parvi faciant irre-

irrefragabilia judicia PP. Tridentinorum, & Apoſtolicæ S. Sedis? Nec ſufficit quod P. Natalis ab Alexandro, aliique Recentiores adhibeant cantilenam: *Si omnium Ordinum Auctores Catholici, religioſi, eruditi celebres taxant apud ejus opera nonnulla loca Textus correcti, nullimode ob id detrahunt Eccleſiæ judiciis, quoniam vix ſuas conjecturas modeſte proponunt, cenſentque nihil abſque Eccleſiæ auctoritate in eodem Textu immutandum*. Verum hujuſmodi emplaſtrum apud eos certe non fœtebit, vel qui imperiti ſunt rerum divinarum, vel quibus facile fucus fieri poteſt: fides enim circa ea quæ ſunt a veris Catholicis credenda, omne dubium excludit, alioquin non erit fides divina, quæ eſt argumentum certum licet non apparentium, ſed humana; quum ergo Apoſtolica S. Sedes editionem Clementinam ſuis filiis tradiderit, in Præfatione monens, nihil non canonicum in ea reperiri, omnes Catholici opus eſt eandem pro tali habeant abſque ulla hæſitatione; atque ita adverſus eandem editionem, conjecturas ſive dubia proponere, penitus virum Catholicum dedecet, uti exemplificavimus n. 474. Immo ſi præfatum dicterium penſiculatius introſpiciatur, non alio ſane tendit, quam ad illudendam cum Hæreticis eccleſiaſticam Poteſtatem. Poſito enim quod gravibus conjecturis conſtaret, in laudatis locis Geneſeos legendum fore, *fiat expanſum*, *ipſa conteret*, non eſſet amplius in poteſtate Eccleſiæ haſce lectiones non recipere apud ejus Textum, ex eo quia *Eccleſia Scripturas canonicas non facit*, ſed ſolummodo declarat; ergo eruditus Catholicus quantumvis ſe ſubmittat judicio Eccleſiæ, ſtatim ac revocat in dubium lectionem aliquam correcti Textus, refractarius exiſtit eccleſiaſticæ Poteſtatis, eo ferme pacto, quo inter Janſeniſtas merito collocatur, qui dubia & conjecturas (quamvis modeſte) proponeret contra judicia in cauſſa Janſenii ab Apoſtolica S. Sede prolata; & conſequenter Theologus qui allegata ſtropha utitur, vocetenus veneratur eccleſiaſticam Poteſtatem, re tamen flocci facit, atque averſatur.

565.

565. *Obiicies* cum Waltono (*a*) : *Etſi verſiones antiquæ præſertim, multum conferre poſſint, quum erratum in Textum Originarium caſu irrepſit ad veram lectionem indagandam & reſtituendam, tamen generaliter loquendo, verſiones omnes ſecundum Textus Originales corrigi & examinari debere. Nam quum omnes verſiones tanquam rivuli ex codicibus Originariis ut fontibus fluxerint, neceſſe eſt, ut quidquid veritatis in verſionibus inveniatur, illud a fontibus habuerint. Eatenus enim verſio vera dici poteſt, quatenus cum Textu Originario concordat. Contradictionem itaque plane implicat, affirmare ſimpliciter, fontem ex Verſione corrigendum : æque enim abſurdum eſt, ac ſi quis Solis motum ex horologio corrigere vellet.*

Reſpond. Quantum Waltonus hujuſmodi palæſtram exercens reus fuerit vaferrimæ diſſimulationis, ex præfato ejus teſtimonio manifeſte colligitur. Utique verſiones ex fontibus fluxerunt, verum ut hinc rite inferatur, Vulgatam (de qua lis eſt) emendandam eſſe per fontes, duo in anteceſſum opus eſt graviter demonſtrentur, nimirum, quod fontes hodierni nativam puritatem repræſentent, & quod Vulgata ab ipſis Prophetarum & Apoſtolorum Originariis diſcordet, quod profecto nec pro tantillo a Waltono ejuſque aſſeclis hactenus probatum eſt, & multo minus in futurum; quinimmo hodierni Angli mediante folio Oxonienſi videntur quoad vitioſitatem Hebræi nobiſcum conſentire. Ea de re inſulſa Solis paritas haud Waltono honorifica, quum per eam oſtendat credidiſſe, quod eodem naturali curſu primigenia puritas fontium, a temporibus Apoſtolorum ad nos uſque fluxerit apud exemplaria manuſcripta & cuſa, ac Sol ab initio mundi immutabili curſu Cœlum gyrat; credidiſſe pariter, quod ſicut non datur homo qui valeat motum Solis pro minimo retardare vel augere, ita in nullius hominis poteſtate fuerit ex malitia aut

(a) *Proleg.* VII. §. 25. *p.* 287. *col.* 2.

aut incuria aliquid detrahere ex exemplaribus fontium, vel addere ; credidiſſe tandem, quod tam facile fuerit Textum Vulgatæ verſionis apud pene innumerabiles codices deſcriptum, & conſtanti ſeculorum uſu apud populos occidentales, magnis terræ mariſque intervallis diſtantes, conſecratum depravari, ac horologium aliquod propter pleraſque viciſſitudines quas ſubit quam facillime vitiatur. Hæc ſane Waltonus crediderit oportet, ex quo paritatem Solis horas apud horologium indicantis aſſumpſit ; ſi vero rem, quæ unicuique ratione utenti perſpecta eſt, bene novit, dicendum præfato exemplo ſtuduiſſe fucum facere *imperitis*, aſtute celans id quod in propatulo veritatem *ponit*, quodque brevi expoſuimus.

566. Hujuſmodi tandem Corollarium, ſicut & primam Demonſtrationem annulo ſignent viri de Romana communione benemeriti, qui inter legendum opportune occurrerunt.

Gregorius de Valentia cujus perſpicua teſtimonia protulimus num. 43. & 532.

Joannes Baptiſta Villalpandus (*a*) habet : *Neque enim piis viris licet levioribusdam Grammatices obſervationibus ſacros Patres Eccleſiæ lumina reprehendere, nedum ſacram ipſam Vulgatam & probatam lectionem carpere, quam nos & tueri pro viribus, ut tenemur, profitemur; itaut nullius vereamur pro ejuſdem defenſione ſubire vel offenſionem, vel reprehenſionem.*

Thomas Stapletonus (*b*) : *Recurrere*, inquit, *ad Hebraicum vel Græcum & licet, & expedit ſæpenumero ; ſed ad id quod obſcurum eſt elucidandum, non ad Textum Vulgarem falſitatis alicujus condemnandum. Et hoc ſenſu ſolam Latinam Vulgatam editionem pro authentica haberi Concilium Tridentinum ſtatuit.*

Jo-

(a) *In Ezechiel. Par.* II. *Lib.* III. *Cap.* XVII. *p.* 473. *col.* 1. *B.*
(b) *De Poteſt. Eccleſiaſt. controv.* V. *q.* III. *art.* III. *p.* 519.

Joannes Morinus (*a*). *Quid igitur post Septuaginta Interpretes, post S. Hieronymum se se emendaturos sperant scioli homunculi? . . . Quare non* (acquiescunt) *versioni Latinæ quam inculpatam, quum primum facta est judicavit Ecclesia, judicavit etiam Synagoga, quamque inviolatam conservavit cum Ecclesia Romana annis mille ducentis universus Occidens? In re seria si jocari licet, joculare sane est, quod illi scioli disputando assumunt.*

167. Sforza Pallavicinus (*b*): *I testi Greci che a nostra età si conservano, sono convinti di varj abbagli non leggieri nel riscontrarli in più luogbi con ciò che ne allegarono i SS. Padri, mentre que' libri duravano più incorrotti negli esempi meno distanti, e meno dissimiglianti da legittimi Originali. Onde ora que' Testi non sono idonei testimonj a dimentire una sposizione sì lungo tempo ricevuta dalla Chiesa.* Idipsum affirmat de emendatione Vulgatæ ex hodierno Hebræo Textu.

Jacobus Bonfrerius (*c*): *Majorem versionis nostræ auctoritatem esse debere quam Textus Hebraici* (*catholicis loquor, nam frendeant, oblatrentque Hæretici, per me licet*) *& ubi cætera sunt paria, potius Textum Hebraicum ex nostra versione esse corrigendum, quam contra.*

Stephanus Menochius (*d*): *Linguæ sanctæ cognitionem magno esse adjumento Bibliorum Interpretibus, ut verum illius sensum assequi possint, quod tamen ea reverentia faciendum est, ut non conemur ex Hebraico Textu Latinam nostram versionem emendare, aut damnare: hoc enim esset minus Ecclesiæ Catholicæ fidere, quam Rabbinis Hebræorum.* Et infra (*e*): *nobis satis est scire, menda in Textum illum* (Græcum) *irrepsisse, ac proinde potius ex Latino Græcum Textum, quam ex Græco Latinum emendandum esse.* Et iterum (*a*): *Rivus enim purus, & minime turbatus, fonti turbato & impuro prudenter anteponi potest, & debet.*

(a) *Lib.* I. *Exercit.* I. *Cap.* I. *p.* 3. *col.* 1. E.
(b) *In Hist. Concil. Trid. Lib.* VI. *Cap.* XVII. *n.* 3. *p.* 649.
(c) *Proloqu. in totam Script. Cap.* XIII. *sect.* V.
(d) *Prolegom. in Scripturam Cap.* X. *Tom.* I. *p.* 5.
(e) *Cap.* XIV. *p.* 6.

Johannes de la Haje (*b*): *Si qua fidei & morum quæstio inter Catholicos exoriatur nullo modo recurrendum est ad Hebræos codices, ut aliquid reiiciatur quantumvis leve sit, vel ut aliquid emendetur quantumvis minimum in Vulgata editione; sed standum est in omnibus nostræ Vulgatæ.*

568. Fraſſenus (*c*): *Inde sequitur, majorem versionis nostræ Vulgatæ auctoritatem esse debere, quam Hebraici Textus hodierni, & (tametsi frendeant, oblatrentque Heterodoxi) ubi cætera sunt paria emendandum esse potius Hebræum Textum per editionem Latinam vulgatam, quam e contra.*

Vincentius Gotti (*d*): *Dico ultimo: Ecclesia non permittit recursum ad Textus Hebraicos & Græcos pro corrigenda ex illis Vulgata, permittit tamen ad illos recurrere ob alia motiva . . . . Stante diversitate inter Textus & Vulgatam non possumus tuto affirmare, mendum esse in Vulgata, sed potius in Textu; nec corrigere Vulgatam per Textum, sed potius Textum per Vulgatam . . . Majorem fidem adhibere debemus Vulgatæ, quam Originali, & per illam hanc in iis, in quibus discordat, emendare . . . Modo Textus & Vulgata pares non sunt, nam pro versione stat Ecclesiæ decretum, pro Textu vero non.*

Antonius Casinus (*e*): *Si qua in Vulgata contrarietas est, ac dissensio, & pugna cum Textu Hebraico, aut Græco, hi Textus eo in loco exemplar, sive Originales non sunt, sed adulterati, aut aliquo modo vitiati.* Item (*f*): *Si quæras utrum Vulgatæ testimonium reiicere liceat in re levissima,*

(a) *Cap.* XVIII. *p.* 8.
(b) *Biblia Maxima Proleg. Sect.* XVI. *Cap.* III. *p.* 80.
(c) *Disquis. Biblic. Lib.* II. *Cap.* V. *p.* 338.
(d) *De verit. Relig. Christ. Cap.* VIII. §. III. *n.* XXXI. *p.* 173.
(e) *In Encyclopæd. Prolegom.* I. *disput.* V. *p.* 36. *col.* 2.
(f) *Pag.* 39. *col.* 2.

ma, respondeo, non licere; quemadmodum Scripturæ originalis testimonium reiicere simili in re aliquando non licuit.

Præclara testimonia maximi ac semper recolendæ memoriæ Sixti V., necnon Præfationis Polyglottarum Parisiensium jam tenes num. 384. & 401., quibus multoque pluribus prætermissis satis claret, quam longe aberrent a via vera & trita ii Theologi, quibus nova placent, blandientes hodiernis Hæreticis.

DEMONSTRATIO II.

569. RErum divinarum studii proprium est novas dissipare tenebras, quum aliæ Sole veritatis fugatæ fuerint. Illæ quidem sunt Dei magnalia super quibus investigandis, *quum consummaverit homo*, testatur Ecclesiasticus (*a*) *tunc incipiet*: & Seneca (*b*): *Ne miremur*, inquit, *tam tarde erui, quæ tam alte jacent*. Quod maxime verificatur de præsenti perarduoque negotio, in quo tametsi inviolabilem auctoritatem Vulgatæ *veteris jussu* Sixti V. recognitæ, & auctoritate Clementis VIII. editæ tentavimus hucusque ponere in apricum, eam nimirum vindicando ab innumerabilibus propemodum caliginosis umbris, quibus Neoterici conati sunt præsidio hodiernorum Biblicorum Textuum Contextuumque obsepire; res vero iterum se se offert involuta tenebris, quum ab eisdem autumatur, quod S. Hieronymus interdum erravit *in ea Vulgata* adornanda, & ejusdem Vulgatæ quoad omnes Libros utcunque Auctor minime fuit. Ad hanc itaque subortam caliginem dispellendam pro suscepto instituto incumbamus oportet, & quidem sequenti Demonstratione.

570. Est probatu difficile Hieronymianam versionem in *consummatione* editam, quamque Ecclesia Occidentalis adoptavit vel levissimum complexam fuisse mendum correctione dignum; sed *Biblia Sacra Vulgatæ editionis* Sixti V. jussu recognita, & Clementis VIII. auctoritate edita, est illa penitus eadem, quam Hieronymus in *consummatione* edidit, & Ecclesia occidentalis adoptavit; ergo difficile probatu est, mendum aliquod reperiri in Biblia Sacra Vulgatæ editionis Sixti V. & Clementis VIII. &c. In quam profecto Demonstrationem non est, ut tam longe

(a) *Cap.* XVIII. *v. 6.*
(b) *Natur. Quæst. Lib.* VII. *Cap.* XXXI.

inhæreamus atque in præcedentem, quæ ſicut ſpectabat quandam præjudiciorum colluviem, & farraginem, coagmentatam oblectamento linguarum, nimia protectione codicum Orientalium manuſcriptorum & excuſorum, ſpecioſo velamento Regularum ſacræ Critices, facultate cudendi ſemper nova & varia, libidine ſedendi abſque populi ſuffragio ſuper cathedram Moſis, & hiſce conſimilibus; ita confuſionis vitandæ cauſa neceſſum fuit potiora redigere ad dialecticum tramitem, ex quo ſex prolixa capita prodierunt. In hac vero ſicut & in ſequenti Demonſtratione preſſiori ſtylo verſabimur, ea unice ad criſim revocando principia, quæ locum præmiſſarum in eiſdem tenent, quæque debitis comprobationibus jure ſummo indigent.

CAPUT I.

De inviolabili integritate Hieronymianæ editionis.

571. TAlis tantaque eſt quæſtionis, quæ nobis pertractanda proponitur, gravitas ſimul & dignitas, ut ad ipſam quodammodo totum ſuſceptum pertineat, ipſi perarduum negotium, quod eruditis Eccleſiaſticis incommodat, potiſſimum innitatur, ipſa eorum, quæ hactenus dicta & dicenda ſuperſunt, principium videatur eſſe ac finis, in ipſius tandem ſpiſſa cauſſa quæ recentiorum Hæreticorum & Catholicorum animos occupavit, aqua quam maxime hæreat. Conſentaneum eſt itaque, Hieronymus ipſe, qui ſibi & nobis in Cœlis regnat, cujuſque cauſſam pro qualicumque virili noſtra ſuſcipimus, obtineat apud Patrem luminum, & unigenitum filium ejus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum eam decreturæ provinciæ idoneam opem, qua digni efficiamur aſſecutione nudæ apertæque veritatis, & ii qui foris ſunt, quæruntque tenebras, lumen videant.

§. I.

§. I.

Scitu neceſſaria præmittuntur.

572. *Nota I.* Eſt omnium Proteſtantium explorata ſententia, Hieronymum in ejus adornanda Bibliorum Latinorum editione perſæpe peccaſſe, ſicque præfatam editionem innumerabilibus propemodum ſcatere vitiis, id profecto eorundem Hæreticorum excuſis operibus ubique teſtantibus, necnon noſtris Theologis, inter quos ita fert vir doctus Dominicus Gravina (*a*): *Hos* (Judæos ſecuti) *audacter, & pro ſua licentia, loquendique libidine Novatores abſque ulla reſtrictione loquentes de hac Hieronymi verſione, dixerunt: Hieronymum in hac verſione erraſſe; ſic Eraſmus Lib. de ratione veræ Theologiæ pag.* 18. *qui ait:* Hieronymus unus nec omnia reſtituit, nec potuit reſtituere, quid ſi idem quædam perperam vel emendavit, vel tranſtulit? *& poſtea*, quantumlibet vir pius, quantumlibet eruditus, homo erat, & *falli potuit*, & fallere: multa, ut opinor, illum fugerunt, multa fefellerunt. *Witakerus controv. I. q.* 2. *cap.* 9. *in arg.* 4. Nos dicimus, *ait*, Hieronymum non modo potuiſſe errare, ſed etiam in hac verſione multum erraſſe. *Junius Lib. II. cap. IX. n.* 10. *ait*. Quid ergo? Hieronymus erravit? Humanum eſt; verumtamen, ut dicam lenius generali ſententia in particularem, adductus allegoriis Origenis (nam in Eccleſiaſten ſcripſerat) aberravit. *Hi Hæretici a Catholicis differre videntur; etenim concors eſt omnium Catholicorum ſententia, Hieronymum non erraviſſe in illa verſione, quam probavit Eccleſia; Hæretici vero contrarium aſſerunt*. Hucuſque laudatus Gravina.

573. Neminem pariter eruditum latet, hance Proteſtantium ſententiam una ſimul cum Eraſmica & Lutherana peſte fuiſſe promulgatam; quandoquidem veteres, incipien-

(a) *Catholic. Præſcript. Lib.* IV. *de editione Latina art.* V. *p.* 366. *col.* 2.

piendo ab ipſa Hieronymiana ætate aduſque quartumdecimum ſeculum, tanti & amico conſenſu fecerunt editionem Hieronymi cum univerſa ejuſdem doctrina, ut nullus quantum ſcio inter Chriſtianos probati nominis inveniatur, qui vel per umbram inſimularit alicujus erroris (a). Ineunte quintodecimo ſeculo cœpit audiri, Hieronymus in ejus adornanda verſione paſſim deceptus, quædam perperam emendavit vel tranſtulit, per quam modice exercitatus in lingua Græca, multum procul a perfectione illius Hebraicæ linguæ, quam veteres inſcite ei tribuerunt, perſæpe peccavit in conſtructione nominum, in verſione nonnullorum vocabulorum, locutionum, praviſque etymologiis, quæ quippe aliaque noxia pocula ſub initium ſextidecimi ſeculi Eraſmus potanda propinavit omnibus apud adnotationes Novi Teſtamenti, pleraque ibi ſuppeditans male architectata ſpecimina, quæ poſtea Lutherus, Calvinus eorumque gregales ſibi gratulantes, & quaſi triumphum ducentes imitati ſunt præ cæteris Joannes Clericus in Libro inſcripto, *Quæſtiones Hieronymianæ*. Nec ſane mirum, quandoquidem ſententia de Hieronymiana verſione vitiis referta adeo colligata eſt cum hypotheſi Hæreticorum, ut nullimode iſthæc ſine illa ſubſiſtere queat, quinimmo quot ſunt præjudicia quibus nititur Proteſtantium religio, tot ferme videntur eſſe cauſſæ, quæ eoſdem excitent ad eam criminandam, quarum, ſtudio veritatis illuſtrandæ, operæ pretium duco nonnullas recordari.

(a) *Ambigendum non eſt hoc intermedio tempore non defuiſſe Judæos, qui freti præſidio Maſorethici Textus ac Rabbinicæ linguæ ab eiſdem Maſorethis circa initium undecimi ſeculi extumulatæ, ſubinde altercantes interdum cum doctis Chriſtianis deſuper auctoritate ejuſdem Neoterici Textus, hunc efferebant detrahentes de conſequenti Hieronymianæ verſioni, quæ eiſdem tanquam murus a Chriſtianis opponebatur. Quibus poſtea Judæorum telis armata Rhetorum ſecta, cui nomen dederunt Laurentius Valla, Joannes Reuchlinus, Eraſmus Roterodamus, Martinus Lutherus, aliique ejuſdem furfuris, cœperunt plebi Chriſti ſucum facere, eandem ab avita fide & pietate removentes & turbantes. Scire quoque præſtat, hac eadem ætate initio nimirum quintidecimi ſeculi, teſte Antonio Maria de Lugo apud Dictionarium hiſtoric. editum Neapoli 1754. tom. I. pag. 401. Conſtantinopolitanum Emmanuelem Chriſoloram docuiſſe Italos linguam Græcam, quæ per ſeptem retro ſecula apud Occidentem prætermiſſa fuerat; ex quo colliges cauſſam unde Rhetorum ſecta, ſicut præſidio Neoterici Textus & Rabbinicæ linguæ ex Judæis mutuo acceptæ ſtuduerunt inſimulare errorum Hieronymianam verſionem quoad vetus Teſtamentum, ita quoad Novum notarunt adiumento Græci Textus, Græcæque linguæ, cui addiſcendæ nuper dederant operam.*

BIBLIOTECA PROVINCIALE MATERA

574. Prima itaque cauſſa, quæ adſtringit Novatores ad exauctorandam Hieronymianam verſionem eſt præjudicium conciliandi hodiernis fontibus auctoritatem, & præferentiam (a). Omnibus enim humano ratiocinio bene utentibus perſpectum eſt illud Hieronymi, omnium calculo comprobatum: *Non poteſt verum eſſe quod diſſonat*, & Waltonus perſæpe: *Non poſſunt dari duo Textus authentici ſibi invicem repugnantes* (b); quum ergo Lutheranorum & Calviniſtarum permagni interſit tueri integritatem & authentiam hodiernorum fontium (c), a quibus Hieronymiana editio paſſim diſſonat, inevitabili conſecutione opus habent omnem lapidem movere ad iſtam traducendam, ut nimirum, quo magis hæc pro vitioſa habebitur, eo magis fontibus hodiernis auctoritas & fides conciliabitur.

575.

(a) *Gratias Deo agamus, qui anno 1760. eoſdem Anglos excitavit ad confitendum apud folium Oxonienſe: Omnia exemplaria Hebræi Textus hactenus impreſſa, innumerabiles pene errores complectuntur non levioris momenti.*

(b) *Nec juvat confugere ad illam rancidam cantilenam de diſſonantia rerum levioris momenti, quam ſolam interdum noſtri Critici concedunt eſſe inter fontes & Hieronymianam*, primo, *quia hujuſmodi doctrinam ab eiſdem Hæreticis adinventam, & ſummo ſtudio commendatam a Waltono Prolegom.* VI. §. 2. *pag.* 271. *& ſeqq. ſatis refutavimus num.* 538.; ſecundo, *in divinis Scripturis nihil reputandum eſt levioris momenti, uti num.* 520.; tertio, *hæc vocula* E. G. Ipſa, *quæ apud verſionem Hieronymianam legitur Geneſ.* III. *v.* 15. *,eſtne gravis ponderis vel levioris? ſi primum, ergo falſum eſt, quod Hebræus & Hieronymiana editio diſſonent in rebus levioris momenti; ſi ſecundum, eccur Hæretici tot tragœdias excitarunt criminantes Catholicos inſcitiæ & blaſphemiæ, ex quo in Vulgata Hieronymi legunt* Ipſa? *ſi non eſt curandum quod legatur* Ipſa *vel* Ipſe, *vel* Ipſum, *quare tanto æſtu & impetu in Vulgatam Hieronymi & in Catholicos conſecrantes* Ipſa *irruunt, ut videre eſt n.* 497. *&* 499.?

(c) *Propter rationes quas attigimus in Præfat. Operis nu.* II. *&* X. *item num.* 430. 472. 483. 516.